12

ASSERTIONES TRES
EX SACRA SCRIPTURA DEPROMPTÆ

PUBLICE PROPUGNANDÆ

A VALENTINO CHILESOTTI

AUSPICE ILLUSTRISS. AC REVERENDISS.

NICOLAO ANTONIO JUSTINIANO

EPISCOPO PATAVINO,

Præceptore , & Adjutore

ANGELO AGNOLETTO

In Seminario Patavino Hiſtoriæ Sacræ Lectore.

PATAVII, MDCCLXXXI.

TYPIS SEMINARII.

SUPERIORUM PERMISSU.

Ad manifeſtandam obedientiam venit Abraham.... ad oſtendendam inter flagella patientiam venit Job .... Ecce quam fulgentes ſtellas in cælo cernimus, ut inoffenſo pede operis iter noſtræ noctis ambulemus.

Gregorius M. Præf. in librum Job cap. *6.*

Digitized by Google

ASSERTIO PRIMA.

Eximium facinus Abrahami prompte & conſtanter parati Filium immolare ejus virtutis eſt, ut illud injuria prorſus nonnulli reprehendant; & ejus eſt admirabilitatis, ut perperam alii aliquo antegreſſo ejuſmodi exemplo imminuere & inobſcurare conentur.

SI quis alius extitit ex antiquis Patribus in omni virtutum genere vere ſummus, is certe Abraham, cujus tot ſunt, tamque honorifica paſſim in S. Litteris teſtimonia, ut quidam ſapientiſſimi viri in ejus admirationem abrepti eum appellare non dubitaverint Chriſtianum hominem ante Chriſtum, ante Euangelii tempora Euangelicum, Apoſtolicum ante Apoſtolos. Si quis tamen alius extitit, qui malevolorum & improborum latratus in ſe concitaverit, quod quidem ſingularis excellentiæ atque præſtantiæ indicium eſt, is idem Abraham fuit. Non eſt in præſentia ejus præclara quæque & eximia, ſingillatim percenſere laudando (*a*); non eſt conſi-

(a) Abrahami laudes paſſim celebrantur in Sacris Litteris. Vide *lib. Geneſ. a capite* 12. *ad* 25. *Eccleſiaſtic. c.* 44. Pſalmos, Euangeliſtas, Apoſtolos. Chriſtus *Joan.* 8. Judæos alloquens, *Abraham*, inquit, *Pater veſter exultavit, ut videret diem meum; vidit & gaviſus eſt*. Quo teſtimonio eruditiſſimi viri ſecuti SS. Patres oſtendunt, Abra-

Digitized by Google

ctas in eum calumnias omnes diſſolvere confutando (*b*). Satis eſt illum inſpicere in novo quodam,

---

Abrahamo aperte & diſtincte manifeſtata fuiſſe myſteria de Meſſiæ nativitate, paſſione, morte &c., quorum omnium etiam ſigna perſpicua habuit in ortu mirabili Filii ſui Iſaaci, ejuſque immolatione. Hinc Calmetus ad hunc locum: *Fidei ardor*, ait, *illi tanquam præſens exhibuit eventum, quod longe aberat*. Deus tanta familliaritate cum eodem eſt uſus, ut igne puniturus Sodomitas, id illi prius indicare voluerit: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum?* Geneſ. c. 18. v. 17.

(b) Calvinus, Willerus, Stakouſius, Voltærius turpis mendacii accuſant hunc Patriarcham, quia Saræ ſuaſerat, ut ſe ſororem vocaret *Geneſ. cap.* 12. *&* 20. Illis præierunt Manichæi: Fauſtus ajebat, ſed impudentiſſime, Abrahamum *avaritiæ*, *ac ventris cauſa*, *duobus regibus*, ſcilicet Pharaoni Ægypti, & Abimelecho Geraræ, *in concubitum venditaviſſe Saram matrimonii ſui infamiſſimum nundinatorem*. Conjugium quoque ab eo initum cum Agape vivente Sara *Geneſ. c.* 16. ut inhoneſtum & adulterinum reprehenſum fuit. Sed ab iis omnibus calumniis purgatus eſt Abraham a SS. Eccleſiæ Patribus, & graviſſimis interpretibus. Videſis ad citata capita præter innumeros alios, Pererium, Natalem Alex., Alphonſum Niccolai, qui poſtremus defenſores omnes Abrahami, & impugnatores profert. D. Auguſtinus lib. 16. de Civit. Dei: *Uxorem*, inquit, *tacuit*, *non negavit*, *conjugis tuendam pudicitiam committens Deo*, *&* *humanas inſidias cavens ut homo* . . . . . . *uxorem ſuam dixit ſororem*, *nihil mentitus*; *erat enim & hoc*, *quia propinqua erat ſanguine*, *ideſt*, ut inquit D. Hieronymus adverſus Helvidium, *fratris erat filia*. Plura alia habet D. Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum; & lib. contra mendacium. Rurſus cit. lib. de Civit. Dei: *Nullo modo*, inquit, *eſt inurendum de hac concubina*, *ideſt uxore ſecundaria*, *crimen Abrahæ*: *uſus eſt ea quippe ad generandam prolem*, *non ad explendam libidinem*, *non inſultans*, *ſed potius obediens Conjugi* . . . . *Nulla hic cupido laſciviæ*, *nulla nequitiæ turpitudo*; *ab uxo-*

re

Digitized by Google

dam, nec alias audito, dimicationis genere conſtitutum, in quo vincere ac triumphare opus eſt virtute divina. Et virtutis quidem notas perſpicuas nec dubitandas eſſe pericula repente objecta, tam certum eſt, quam quod maxime. Sicut enim ea, quæ ficta & adumbrata virtus eſt, in diſcrimen adducta infringitur & evaneſcit; ita ea quæ vera eſt & ſolida, corroboratur atque perficitur. Quare non jam pacatis rebus & ſecundis; ſed propoſita difficultate & moleſtia, non in otio, ſed in acie virtus probanda eſt. Neque enim aut Jacob patientiſſimus haberetur, aut Joſeph invictiſſimus, niſi fraterna invidia, proditiones, egeſtas, ærumnæ, ſervitutes utriuſque vim & fortitudinem comprobaſſent. Hinc regius Propheta, quaſi dubius de ſua virtute, cujus tamen alias præluſtria dederat argumenta, ita precabatur: *Proba me Deus & ſcito cor meum.* Quod non ideo dixit, perinde ac Deus ſine experimento ejus vires neſciret; ſed ideo dixit, ut ipſe quoque ſuæ virtutis conſcius fieret. Opportune Auguſtinus ſerm. 72. de Temp. *Tentatio*, inquit, *Dei non id agit, ut ipſe aliquid cognoſcat, quod antea neſciret; ſed ut illo tentante, quod eſt occultum, prodatur. Tentat, ut homines ipſi ſe ſciant, aut ſi ſe*

 jam

---

re cauſa prolis ancillá marito traditur: á marito cauſa prolis accipitur; ab utroque non culpæ luxus, ſed naturæ fructus exquiritur. Innocentius III. cap. Gaudemus, de Divortiis: *Nulli*, ait, *unquam licuit inſimul plures uxores habere, niſi cui fuit divina revelatione conceſſum:* & hac quidem revelatione, ſive diſpenſatione Abraham, aliique Patriarchæ, qui plures leguntur ſimul habuiſſe uxores, optime defenduntur.

jam ſciunt, ut aliis noti fiant: hac ratione tentatus eſt Abraham, ut ſe ipſe ſciret, vel ſi ſe jam ſciebat, ut nobis notus fieret. Jam vero cui notiſſimus non extitiſſet vir, qui audita voce illa: *Tolle Filium, vade in terram viſionis, atque ibi offeres eum in holocauſtum* (Geneſ. c. 22.), ita libenter & alacriter obtemperavit, ut quaſi factus ab humana natura alienus, ait Chryſoſtomus (*Homil.* 47. *in Geneſ.*) ſtatim poſponendam omnino duxerit præceptis divinis omnem affectionem & dilectionem? & tamen in tali mandato quæ & quanta inerant ad animum juſti hujus commovendum & proſternendum? *Tolle filium tuum*, vox illa denuntiat; tuum ſcilicet cum ratione naturæ, tum gratiæ beneficio, quem præter expectationem in ipſa ſenectute genuiſti. *Tolle filium & hunc unigenitum*, quo uno erigeris, quo uno recrearis, quo tibi jam ſeneſcenti nihil utilius, quo tibi vehementer amanti nihil jucundius. Tolle filium ſummæ pietatis atque virtutis, quem ideo incredibili ſtudio proſequeris, & maxima benevolentia complecteris, *quem diligis*. *Vide tentationis pondus*, exclamat Origenes: *caris & dulcibus appellationibus iterum ac ſæpe repetitis paterni ſuſcitantur affectus, ut amoris evigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur.* (Homil. 8. in Geneſ.) *Tolle filium Iſaac*. Quid opus fuit, interrogat idem Origenes, nominatim commemorare Iſaac? Nunquid neſciebat Abraham filium ſuum unigenitum ita vocari? Noverat certe, reſpondet; nomen tamen addere Deus voluit, ut recordatus Abraham, quia dictum fuerat: *In Iſaac vocabitur tibi ſe-*

Digitized by Google

ſemen (Geneſ. c. 21.), vehementior & atrocior ei contingeret tentatio. Quid hiſce moleſtius, quid tetrius, quid durius amantiſſimi Patris animo accidere potuiſset? imo quo majus ſit ſupplicium, non aliena manus ſacrificio deſignatur, ſed Patris dextera: *Offeres in holocauſtum*, ne ſcilicet quidquam deeſſet fidei ac religionis miraculo. Adde quod filii immolatio non ſtatim, ſed mora interjecta præcipitur. *Vade*, ait Deus, *in terram viſionis*. Nimirum, inquit Origenes, *ut dum iter agit, per totam viam cogitationibus diſcerpatur, ut hinc perurgente præcepto, hinc vero unici filii affectu abluctante crucietur; & in his omnibus ſpatium certaminis accipiant affectus & fides, amor Dei & carnis, præſentium gratia & futurorum expectatio*. Adde etiam, quod immolatio, quæ Patri præcipitur, diu filio celatur, ut in denuntianda morte animus Patris iterum confoderetur. Vox interim illa, quæ ex ore Filii nihil tale ſuſpicantis, & ideo Patri minime proſpicientis excidit: *Pater, ecce ignis, & ligna, ubi eſt victima?* annon acerbiſſima ejus pietati atque fortitudini accidiſſe credenda eſt? Filius eſt, qui Patrem interrogat, & de victima immolandus interrogat: Pater eſt, qui interroganti reſpondet, & de victima immolaturus reſpondet, *Deus providebit ſibi victimam, fili mi*. In hiſce anguſtiis motus omnes comprimere, affectus cohibere, ſervare propoſitum, cujus fuiſſet, niſi ejus, qui præditus eſſet virtute ſingulari atque incredibili? Vocabula enim Patris, Filiique, animadvertit Ambroſius, *ſolent operari gratiam, non miniſterium necis; incitare ad pietatem, non ad mortem*. Mors tamen pari

conſtantia & denuntiatur a Patre, & ſubitur a Filio. Saltem quam impoſſibile erit, utar Ambroſii verbis, *ut ferire poſſit, cujus ſe vulneri ſubjicere optaret!* Verum intuemini Patrem *inflexibilem a ſtudio devotionis, & intentionis ſoliditate fundatum*, etiam ferire paratiſſimum, eo vultu, ore & animo qui dignus eſſet tali ſpectaculo. *O igitur*, dicam cum Zenone Epiſcopo Veronenſi (*c*), *novum ſpectaculum, ac vere Deo dignum, in quo definire difficile eſt, utrum ſit patientior Sacerdos, an victima! non percuſſoris, non percutiendi variat color: non membra tremore vibrantur, non demiſſi, non torvi ſunt oculi; nemo rogat, nemo trepidat, nemo ſe excuſat, nemo turbatur. Ille erexit gladium, iſte cervicem obtulit uno voto, una devotione, ne quid profanum ſit... ſoli cedit affectus pietati, pietas religioni favet, utrique religio; medius ſtupet gladius nullo impedimento ſuſpenſus mactationi terribili gloriam ſe præſtitiſſe, non crimen. Quanquam ecce immanitas in fidem, & ſcelus tranſit in Sacramentum: parricida redit incruentus, & qui immolatus eſt, vivit. Ambo igitur gloriæ charitatis exemplum, ambo Dei cultus admirabile ſæculi teſtimonium*. Admirabile tamen hoc teſtimonium fidei, obedientiæ, fortitudinis, tale hominibus iis nequaquam videtur, qui SS. virorum facta non Scripturarum auctoritate, ſed ſua quadam ratione dijudicant.

Mar-

(c) Hunc locum tanquam D. Zenonis refert Lippomanus in *Catena in Geneſ.*, aliqui tamen incertum auctorem putant.

Digitized by Google

Marſhamus (*d*) in Canone Chronico, adductis exemplis Chananæorum, Phœnicum, atque Ægyptiorum, aſſeruit, apud eos viguiſſe morem immolandi homines longe ante Abrahami ætatem; ac proinde affirmavit, hoc ejus ſacrificium non fuiſſe novum & inauditum, nec illius *tentationem fuiſſe recens excogitatam*, *ſed ad priſtinos Chananæorum mores deſignatam* (*e*); unde ſequeretur, tale facinus non ita ſingulare atque mirabile extitiſſe, ſicut omnes exiſtimant. Et tamen Sa-

(d) Præter Marſhamum etiam Shaftsburyus, & Joann. Clericus Abrahami gloriam inumbrare conati ſunt, quos Witſius, & Shuckfordius, aliique impugnarunt. (*Witſ. Ægyptiac. l. 1. c. 7.*, *Shuck. t. 2. l. 6.*).

(e) Marſhamus cum hæc dicit in eorum opinionem inclinare proditur, qui dictitant ex gentium ritibus Deum plura tranſtuliſſe in eam religionem, quam Patriarchis manifeſtavit, & Moyſi ſcripis mandare præcepit. Quod quidem pluribus probare ſtuduit, & multiplici eruditione corroborare Spenzerus in *lib. de leg. ritual. Hebræorum*. Quaſi vero Deus alienis inventis & cogitatis indiguerit, & judicaverit non alia ratione antiquos Patres populumque Iſraeliticum inter Idolorum cultores verſantem, eorumque cæremonias præ oculis habentem, in officio ac vera pietate contineri poſſe, quam ſi gentium conſuetudinibus ſimilia, ſemota prius qualibet ſuperſtitionis ſpecie, ipſis conceſſiſſet. Quo nihil magis indignum Numinis ſanctitate ac ſapientia, nihilque abhorrentius a puritate divinæ Religionis. Adverſus hanc opinionem præter alios graviter copioſeque diſputavit Natalis Alexander in *Hiſtor. Eccleſiaſt. V.* T., oſtenditque cum acerrimis rerum Judaicarum indagatoribus, gentes ab Hebræis, non viciſſim, plura quoad ſacrificia & ſacra, multorum tamen errorum permixtione corrupta, & quibuſdam fabularum quaſi integumentis velata, in ſuas Religiones derivaſſe. Qua de re paſſim Sancti Patres & Interpretes.

Digitized by Google

Sacræ Litteræ quoties de hac re loquuntur, tanquam de re anteactis ſæculis omnino inaudita, proptereaque ſingulari loquuntur, ut ipſa indicat Divina Moyſis narratio initio cap. 22. Geneſeos *(f)*. Id ipſum confirmant verba Angeli Abrahamum filio mortem jam jam illaturum Dei nomine compellantis, ejuſque eximiam fidem, obedientiam, fortitudinem celebrantis, & magnificis promiſſis remunerantis: *Per memet ipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi; & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris. Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ*. Confirmat denique Apoſtolus ad Hebræos 11. ubi *Fide*, inquit, *obtulit Abraham Iſaac cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones*. Quare SS. Eccleſiæ Patres, Chryſoſtomus *Homil.* 47., Theodoretus *quæſt.* 73. *in Geneſ.* Ambroſius in *libris de Abraham*, Auguſtinus paſſim, rei novitate & admirabilitate perculſi, hanc ejus actionem non velut uſitatam, ſed ut novam, non quaſi ex more gentium excogitatam, ſed ut primum ab eo inſtitutam, ſplendidis verbis extollunt. Satis ſit audire Chryſoſtomum: *Quia*, inquit, *ſciebat quod novum & inauditum eſſet id, quod ab ipſo faciendum erat, nec ab ullo unquam tale quidquam factum erat antea, facit ut lateat ſervos*, ne ſcilicet rei inauditæ novitate offenderentur.

Aſ-

(f) Vide Natalem Alexandr. *Hiſt. Eccleſ. V. T. Diſſert.* 8. *propoſ. unica*.

Affert præterea Marſhamus pro ſe auctoritatem Philonis Judæi, qui in libro de Abrahamo hæc habet: *Quid attinet illum laudare tanquam novi facinoris auctorem, quod & privati & reges & gentes integræ ex occaſione faciunt?* At quis Marſhamum non jure malæ fidei redarguerit, qui noverit eum turpiter abuſum fuiſſe verbis Philonis, quibus non ſuam, ſed invidorum quorumdam & malevolorum ſententiam notavit? Philonem ipſum audiamus, iniquis obtrectatoribus acriter ſuccenſentem, & mentem ſuam clare aperientem. *Qui liberos*, inquit, *mactant, partim ex more id faciunt, partim quia magna mala a ſuis civitatibus aliter arcere nequeunt. Ex his quidam inviti ſuos exhibent, coacti a potentioribus; alii compulſi metu hominum; alii cupidine gloriæ famæque. Ergo qui ex more mactant, nihil magnum videntur facere; nam inveterata conſuetudo plerumque tantum poteſt, quantum natura . . . . . . Qui vero cedunt timori, laudem nullam merentur. Laudantur enim facta voluntaria . . . Quod ſi quis amore gloriæ vel filium prodit, vel filiam, vituperio magis, quam laude dignus eſt. Proinde conſiderandum eſt, an Abraham aliqua modo dicta neceſſitate coactus ſit mactare filium, vel more, vel honore, vel timore. Mos certe immolandi liberos nec Babylone, nec in Meſopotamia, nec a Chaldæis receptus eſt, apud quos educatus, magnam vitæ partem cum eis exegit; ne quis putet, præ aſſuetudine leviorem viſam mali ejus imaginem. Sed neque metus ullus imminebat ab hominibus, neque Oraculi juſſum quiſquam norat alius. Nulla publica premebat calamitas, cui morte probatiſſimi filii re-*

remedium quæreret . At laudis apud vulgum parandæ cupidine ad hoc facinus concitatus eſt . At quæ laus captabatur in ſolitudine , ubi nemo erat applauſurus , data opera longe a tergo relictis etiam duobus famulis , ne ſe coram teſtibus oſtentare videretur ? Quapropter obturato infræni ore moderentur accuſatores ſuam invidiam , nec lacerent honeſta vita defunctos , quos potius prædicare deberent . Quid his efficacius adverſus Marshamum , quid Abrahamo honorificentius ? Quanquam etiamſi Philo non ita præclare de Abrahamo ſenſiſſet , ut revera ſenſit & ſcripſit , ſed ita ut eum ſenſiſſe voluit Anglus hic Auctor , ea ejus tantum ob id ex contextu ſermonis deſumens , quæ ſibi faviſſent, cui dubium quin deſeri , refellique debuiſſet ipſe Philo , utpote qui apertis SS. Litterarum teſtimoniis repugnaſſet ? Nullius enim vel probatiſſimi Scriptoris auctoritas apud cordatos homines quidquam valere debet , ſi ab auctoritate Scripturarum recedat . Atque hinc non immerito videmur nobis ſuſpicari poſſe, Marshamum , cum dixit Iſaaci oblationem *mirum fuiſſe fidei experimentum* , nequaquam hoc factum ex animo commendaſſe , nec ſignificaviſſe quid magnum , & eminens , prompte tamen ſuſcipiendum in obſequium divini mandati ; ſed intellexiſſe quid iniquum , & a ratione abhorrens ; propthereaque Abrahamum , ſi vir fuiſſet , debuiſſe verius , re audita , obſiſtere aut ſaltem interrogando , arguendo , diſputando cum Deo agere , quam confeſtim & ſine conſilio obtemperare : quod ſi ita paruit , ut ſane paruit , argumentum dediſſe levitatis & credulitatis , ne dicam ſtultitiæ atque inhumanita-

ta-

tatis. Suſpicionem augent hæc ejus, quæ e veſtigio conſequuntur: *Experimentum ab humana*, inquit, *ratione alienum, ſive mandatum ſpectemus, ſive obedientiam.* Παιδοκτονία (*filiorum immolatio*) *Deo ſemper deteſtabilis; & mortis pœna non ita multo poſt interdicta fuit; ſumma fuit crudelitas filium innocentem jugulare; unicum in cineres redigere, ſumma ἀστοργία (inhumanitas)*. Verum ſi animadvertiſſet Marshamus tale mandatum a Deo fuiſſe, & Abrahamum Deo præcipienti obedientiam exhibuiſſe; profecto intellexiſſet, utrumque cum humana ratione apte congruere. Etenim humana ratio ſicut perſuadet nemini licere aut ſibi mortem conſciſcere, aut alteri inferre privata auctoritate: (qua de re eo certior facta eſt poſt interdictum Noe divinitus datum *Geneſ. c. 9.* & poſt Leges per Moyſem latas) ſic eadem humana ratio pervincit, ex præcepto Dei, cui omnis Natura ſubeſt, id recte fieri poſſe atque imo debere. Quod ſi fiat, tunc non eſt crudelitas & injuſtitia, ſed fides, ſed pietas, & debitum ſervitutis officium. Ad rem Seldenus lib. 4. c. 6. de jure Nat. & Gent. juxta diſcip. Hebræorum. *Ex præcepto*, inquit, *Numinis ſingulari atque extraordinario, ſive quale de immolando filio accepit Abraham, ſive ejuſmodi alio, cædem humanam licitam fuiſſe, utpote ab eo, cui tota rerum natura ſimpliciter ac omni modo ſubeſt, imperatam, dubitandum non eſt*. Sapienter D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 4. ad 1. *Deus*, inquit, *habet dominium mortis & vitæ; ejus enim ordinatione moriuntur & peccatores & juſti. Et ideo ille, qui mandato Dei occidit innocentem, talis non*

pec-

peccat, ſicut nec Deus, cujus eſt executor, & oſtenditur Deum timere, ejus mandatis obediens.

Ex qua D. Thomæ doctrina apparet, quod judicium de Chubbio (*g*) quoque ferendum ſit, qui ſua quadam libertate mandatum de hujuſmodi ſacrificio objecit tanquam contrarium divinæ ſapientiæ, juſtitiæ, atque clementiæ; aſſeruitque cædem filii, ſi eſſet a Patre revera commiſſa, actionem ejus generis futuram fuiſſe, quæ humano divinoque judicio improbari debuiſſet atque damnari; unde efficeretur neceſſaria rerum conſecutione, Patriarcham hunc debere jure reprehendi vel ob id ſolum, quod filium immolare paratus fuerit, licet ſacrificium effectu reapſe caruerit. Etenim ad ejus ſive laudem ſive vituperationem nihil intereſt, utrum ſacrificium illud fuerit, necne confectum: Mens enim duntaxat in hiſce attendenda eſt. Sed habuit Chubbius opinionis ſuæ objurgatores, Delaunium (*h*) præſertim, a quo graviter refutatus eſt.

Et ſane quamvis eſſet ignota ratio alicujus divini præcepti, quantumvis difficilis & inuſitati, non ideo tamen illud deberet, cauſa incognita, condemnari; cum plura a Deo queant recte præcipi, quæ humanæ menti anguſtis limitibus circumſcriptæ minus fortaſſe recta videri poſſunt, cujuſmodi eſt Filii per manum Patris immolatio (*i*). Et harum quidem præceptionum, dummo-

(g) Chubb. *Bibliot. Britan. t. 3.*

(h) Delauny *Revelationis examinatæ t. 2. diſſert. 6.*

(i) Jus naturale præceptivum, manente eadem materia & objecto, eſt immutabile: mutata vero ejus materia,

Digitized by Google

modo conſtet eas eſſe divinas, ut de hac plane, perfečteque conſtat (*k*), nemo qui ratione agat, fieri debet reprehenſor, ſed laudator. Perſpicuum enim eſt, quidquid divinitus præcipitur, ob id juſte præcipi, opportune præcipi atque ſapien-

---

ria, & ipſum jus naturale mutatur. Indirečte tamen ſolum jus naturale mutari poteſt, non direčte. Si materia ſubſit dominio ſolius Dei, mutatio fieri non poteſt niſi a Deo, ſi ſubſit & dominio hominis, fieri poteſt etiam ab homine. Hinc ſolus Deus potuit præcipere Abrahamo, ut filium ſuum innocentem occideret. (Vide Benedičtum XIV. *de Synodo Diœceſ. lib.* 13. *cap.* 21. prope finem).

(k) D. Gregorius M. l. 4. Dialog. c. 48. *Sanči viri*, inquit, *inter illuſiones atque revelationes ipſas viſionum voces & imagines quodam intimo ſapore diſcernunt, ut ſciant quid a bono ſpiritu percipiant, & quid ab illuſore patiantur.* Et Thomas Anglus in *c.* 22. *Gen.* ait, Deum hominibus illis, qui tanquam religionis & fidei magiſtri eliguntur, in revelationibus & viſionibus tantam ſuperni luminis copiam tribuere, ut de earum veritate ambigere nullo modo poſſint. Et ſane hac ratione ſemper Deus egit cum Patriarchis in lege naturæ, cum Prophetis in lege Scripta, & in Euangelica cum Apoſtolis. Eumdem ita egiſſe cum Abrahamo ex divina Hiſtoria pronum eſt colligere: unde corruit argumentum illud quorumdam dičtitantium hoc mandatum a Dæmone eſſe potuiſſe, & ideo hunc Patriarcham levitatis & inconſiderantiæ eſſe reprehendendum, perinde ac præſtiterit quidem obſequium voci illi, quæ immolationem filii præciperet, non tamen rationabile præſtiterit. Accedit quod Abraham, utpote propheta, quemadmodum ab ipſo Deo appellatur (*Gen. c.* 20.) optime noverat divinas voces & cæleſtes revelationes, quarum plures antea perceperat. Novit igitur hoc mandatum ejuſdem Dei eſſe, cujus fuerat præceptum diſcedendi e patria ſua, cujus promiſſio fuerat de benedicendis in ipſius ſemine omnibus gentibus, cujus fuerat decre-

pienter (*l*). Quanquam præcepti ejus, de quo loquimur aliqua ſaltem ratio manifeſta eſt. Voluit nimirum Deus, filii nece imperata, piiſſimi Patris fidem experiri, voluit obſequium illuſtrius reddere, cum ad ejus laudem, qui rem difficultatis moleſtiæque pleniſſimam aggreſſus eſſet, tum ad eorum, ad quos tanti facinoris notitia perveniſſet, imitationem, ſi & ipſis ardua quandoque & inſueta præciperentur: voluit etiam ſignificare, Parentum in Filios pietatem & affectus ita eſſe temperandos, ut ſemper divinæ voluntati & religioni ſubjicerentur. Quam quidem necem æque Deus velle potuiſſet in pœnam, ſi Abraham aliqua peccati labe infectus fuiſſet. Et hoc idem etiam de filio cogitandum eſt, qui ſi aliqua culpa obſtrictus fuiſſet, hoc pacto potuiſſet juſte puniri; ſi innocens extitiſſet, bono longe meliori compenſari.

---

decretum de obtinenda Chananæorum regione. Hinc Apoſtolus in *cit. Epiſt. ad Hebræos* in hoc Abrahami fidem laudat: fides autem teſtimonio Dei manifeſto revelantis innititur; & Deus actionem hanc præmiis ſe affecturum ſpopondit: præmia vero imprudentiæ nulla debentur, etiam ſi res temere ſuſcepta, proſpere cedat. Quid quod Abraham, ut ex ejus Hiſtoria apertiſſime patet (*Gen. cap.* 12. 13. 15. 16. 17. 21. 24. 25.), cum ante, tum poſt hoc factum, ſemper prudentiſſimus extitit etiam cum fauſta & utilia a Deo proponerentur? ſuſpicari vero ſolum hac vice propoſita re difficili & moleſta prudentiæ ſuæ eum turpiter oblitum fuiſſe, nefas eſt.

(l) *Debitum erat*, inquit D. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 8., *eum* (Iſaacum) *occidi per mandatum Dei, qui eſt Dominus vitæ & mortis. Ipſe enim eſt, qui pœnam mortis infligit omnibus hominibus juſtis & injuſtis, pro peccato primi parentis; cujus ſententiæ ſi homo ſit executor auctoritate divina, non erit homicida, ſicut nec Deus.*

Digitized by Google

ſari. Neque vero timendum eſt, ne filii immolatio divinæ bonitati, & manſuetudini repugnet, quia Patri præcepta, quod contra naturam videtur (*m*). Si enim Deus ſupremum jus habet in omnes homines, de quo dubitandum non eſt, poteſt etiam illud exercere miniſterio cujuſvis, & quovis modo. Commode cadit in rem noſtram, quod ſcripſit Divus Auguſtinus Lib. 26. contra Fauſtum cap. 4. *Deus creator & conditor omnium naturarum, nihil contra naturam facit: id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo eſt omnis modus, & numerus, & ordo ...... Hunc nos appellamus naturam, cognitum nobis curſum, ſolitumque naturæ; contra quem Deus cum aliquid facit, ma-*

gna-

(m) Thomas Anglus in *cap. 22. Geneſ.* poſtquam ſtatuit præceptum hoc divinitus factum fuiſſe, affert etiam rationes, cur Abraham debuerit filium potius ſacrificare, quam alium quempiam, ita diſputans: *Sciendum eſt, debuiſſe Abrahamum celerrime ac ferventiſſime implere illud præceptum; & in filio ſuo potius quam in alio quocunque homine. Nimirum immolando filium unigenitum, ſibique tam amore naturæ quam gratiæ dilectiſſimum, non potuit vereri & ſuſpectui ſibi eſſe, ne forte id faceret impio aliquo motu animi; verum ſecurus erat, ſe ſolo Dei amore ac timore ad id faciendum eſſe inductum. De perſonis autem extraneis id vereri & ſuſpicari poterat: tum quia quanto hoc erat difficilius & repugnantius naturali & carnali affectui, tanto id erat perfectioris virtutis propter Dei amorem perficere. Deinde quia id quod naturali jure erat ſuum & ſibi ſubditum, potius decuit offerri ab ipſo, quam rem extraneam, nec ſuæ poteſtati ſubjectam. Similiter Iſaac ſine ulla dubitatione obedire Patri ſuo debuit: quippe cujus ſanctitatem & divinas revelationes ei factas optime noverat, & facile advertere poterat, quod pater ſuus vir ſanctiſſimus nunquam ſe filium unigenitum & dilectiſſimum immolare ſuſtinuiſſet, niſi certiſſimus eſſet, id a Deo fuiſſe imperatum.*

282 202

gnalia, *vel mirabilia nominantur*. Admirabilitatem porro ejus facinoris, quod præ manibus eſt, ut imminueret Marshamus, Gentium exemplis uſus eſt, quod ſuperius innuimus; atque ita aſſertionem illam ſuam: *Sacrificandi nempe ritum Abrabami temporibus vetuſtiorem fuiſſe*, firmiter ſtabilire exiſtimavit. Verum etiamſi concederetur ante Abrahamum humanas victimas oblatas fuiſſe, quid inde tamen efficeret? Tale enim ac tantum ſemper diſcrimen appareret inter immanes Gentium mactationes, & divinam Abrahami immolationem, ut hæc cum illis nec rei difficultate, nec offerentis oblatique præſentia, neque cauſæ excellentia comparari ullo modo poſſet, multo vero minus imminui, & inobſcurari. Quin imo talia exempla non jam ſacrificiorum, ſed cædium, & ſuppliciorum (*n*), ſi forte præceſſiſſent, ea verius Patriarchæ fidem, obedientiam, magnanimitatem auxiſſent, quam extenuaſſent. Nam ea quæ injuſta ſunt natura ſua, quæ inhumana, & impia, cujus generis fuiſſent hominibus Dæmonum fraude, & ſuperſtitionis errore illatæ mortes, piis viris atque religioſis, qualis Abraham, ita fiunt exoſa & inviſa, ut ab illis neceſſario quam maxime abhorreant, nedum induci queant ad uſurpanda ſimilia. Improbi enim alienis exemplis etiam malis facile capiuntur; probi non item; quin e contrario eo majus in ea odium concipiunt, quo

(n) Morinus *Acad. Pariſienſ. Inſcript. & Litt.* plura habet de Gentium immolationibus, quas ſupplicia flagitioſorum hominum, aut hoſtium jure belli captorum, non autem ſacrificia exiſtimat.

Digitized by Google

quo plures viderint eorum imitatores. **An** non igitur novum impedimentum Abrahamo ſuperandum fuiſſet? Prius enim horrorem illum a Natura inſitum, & aliorum prava conſuetudine mirifice auctum & confirmatum exuere debuiſſet; ac deinde vera fide animatus intellectum flectere in obſequium divinæ vocis: unde ejus virtus admirabilior extitiſſet. Quanquam hujuſmodi apud gentes exempla Abrahamo vetuſtiora fuiſſe cum doctiſſimis viris negandum eſt. Licet enim Euſebius (*o*) illorum plura ex Porphyrio, aliiſque auctoribus afferat, non tamen certo oſtendi poteſt, eorum aliqua ante Abrahamum obtinuiſſe. Qui primus auctor extiterit immanium harum mactationum, penitus ignoratur, inquit Banierius (*p*): de re autem incerta & obſcura nihil certi definiri poteſt. Fuiſſe tamen earum inter Gentes auctorem primum Chronum ſive Saturnum aliquibus probabile videtur. Sed Saturnum eſſe perſonam commentitiam, per cumque Abrahamum ſignificatum fuiſſe certis indiciis oſtendunt Huetius (*q*), Natalis Alexander (*r*), Boiſſius (*ſ*), Shuckfordius *tom.* 2., Fourmontius *tom.* 1., Alphonſus Niccolai (*t*), aliique bene multi. Natalis Alexander in citata diſſertatione, poſtquam multa dixiſſet de Saturno, hæc poſtremo addidit: ***Fabuloſam Saturni Hiſtoriam***

 ex

(o) *Lib.* 4. *Præparat. Euangelicæ*.
(p) *Mitholog. Tom.* 1. *l.* 3.
(q) *Demonſtrat. Euangel. prop.* 4. *c.* 3.
(r) *Hiſt. Eccleſ. V. T. diſſert.* 8.
(ſ) *Academ. Pariſienſ. Inſcript. & Litt. Tom.* 1.
(t) *Lect.* 74. *in Geneſ.*

ex Sacra Hiſtoria Abrahami interpolatam veriſimillimum eſt. Improbabile omnino, atque incredibile eſt, Abrahami Filium ſuum dilectiſſimum Iſaacum Deo in ſacrificium offerentis religioſum facinus ad exemplum ἀνθρωποθυσίας profanarum Gentium conformatum fuiſſe. Sed reapſe extiterit Saturnus: num is Abrahamo antiquior dicendus eſt? *Saturnus*, inquit Natalis Alexander, *annis duntaxat trecentis viginti duobus antiquior bello Trojano fuit, utpote belli coævus, ut ex Thalli Hiſtoria memorat Theophilus Antiochenus l. 3. adverſus Autolycum. Cum itaque fateatur omnis eruditorum omnium natio a Moyſis ætate bellum Trojanum plus trecentos annos diſtare, ſequitur Saturnum Abrahamo longe poſteriorem, Moyſi coævum, vel etiam recentiorem fuiſſe; adeoque illius υἱοθυσίαν Abrahami ſacrificio antiquiorem a Marſhamo perperam & inerudite ſupponi.* Sed hæc hujuſque generis alia, ſicut etiam ea, quæ Abrahami virtuti officere videntur, diſputationi reſervamus.

ASSERTIO SECUNDA.

Jobi Liber veri nominis Hiſtoriam continet, non Parabolam.

Liber, qui inter ſacros & canonicos inſcribitur JOB, eam exhibet viri hujus imaginem, iiſque coloribus ad vivum expreſſam, ut quidam in eam oculos conjicientes, ſibique perſuadentes tot, tantarumque acerbitatum, ac malorum genera in unum hominem uno prope tempore congeri nullo modo poſſe, vel, ſi congerantur, nullum eſſe ex hominibus quin eodem momento corruat ac ſuccumbat; idcirco exiſtimaverint, ſed falſo, opus illud aut a Moyſe, aut a quopiam alio poſteriore confictum fuiſſe, & quaſi in actus multiplices diſpertitum eo conſilio, ut vel Hebræi Ægyptiorum tyrannide oppreſſi, vel Idumæi Babylone captivi, ejuſmodi patientiæ exemplo condocefacti in ærumnis laboribuſque perpetuis aliquid levamenti caperent & medicinæ colligerent. In eo ſcriptor, quicunque fuerit (*a*) certe divinus, ea unius viri externa in-

(a) Quis libri hujus auctor habendus ſit; valde incertum eſt. Tribuitur enim vel Jobo ipſi, (*Ita Gregor. Magn. præf. in Job; Pſeud-Origen. Said. Domin. Brix. præf. in Moral. Gregor. & alii*), vel ei una cum amicis, vel Eliu, vel Moyſi, vel Salomoni, vel Iſaiæ; vel recentiori etiam ſcriptori. Hoc certum, nihil haberi in toto hoc

904

infortunia, eas calamitates, eas corporis, animique moleſtias, ægritudines, morbos, cruciatus acerbitate incredibiles, varietate innumeros, diuturnitate productos cumulo quaſi facto complexus eſt, ut eorum partim, ne dicam ſingula, cujuſvis animum quamvis excelſum, cujuſvis naturam quamvis confirmatam debilitare & frangere potuiſſent.

Virum objicit ex ditiſſimo repente pauperrimum, qua gregibus abductis, qua direptis armentis, qua opibus abſumptis; ex beatiſſimo repente infeliciſſimum, ſervorum præſidio expoliatum, carorum præſentia deſtitutum, natorum etiam perculſum inopina orbitate; eumdemque uno momento objicit certo nuntio de rapinis, de incendiis, de ruinis, de ſtrage, de interitu, nullo antegreſſo lenimine, quaſique præparatione concuſſum,

---

hoc libro, quod auctorem aperte deſignet; & qui illum exaravit, qui tandem cumque fuerit, fuiſſe Jobo ipſo recentiorem, & origine ac religione Judæum. Loquitur de Jobo tanquam de perſona extranea, celeberrima alioqui apud populos Orientales, hoc eſt apud populos qui ad Judææ Orientem degerent. Cæterum, ut ſcite D. Gregorius Magn. præfat. Mor. in Job: *Quis hæc ſcripſit, valde ſupervacue quæritur, cum tamen auctor libri Spiritus Sanctus fideliter creditur*. Vide Calmetum *Præfat. in Job*, Danielem Huetium *Demonſtrat. Euang. pr.* 4. Xaverium Mattei, diſſertatione XVI. *De nova interpretandi librum Jobi ratione*, ubi aſſerit auctorem hujus libri eo tempore floruiſſe & ſcripſiſſe, quo rerum naturalium melior ac plenior cognitio haberetur, ſcilicet poſt Salomonis ætatem.

Illud quoque valde obſcurum & implicatum eſt, quo potiſſimum tempore Job vixerit. Alii enim eum vixiſſe volunt temporibus Patriarcharum & ante Moyſem (*Cald. & alii, qui Dinæ ſponſum fuiſſe contendunt*); alii cum Iſrae-

Digitized by Google

ſum, ſed non proſtratum. *Quanta*, exclamat Cyprianus in eorum contemplatione defixus, *adverſum eum Diaboli jacula emiſſa, quanta admota tormenta!* Lib. de bono patientiæ.

Neque vero hominem hunc hiſce ictum quaſi jaculis, hiſce tormentis oppugnatum, veluti ſenſu omni doloris carentem, aut obſtupefactum vobis fingite; perinde ac viciſſitudinum & jacturarum pondus ſentire nequiverit, ut ſtupiditas tunc verius in eo fuerit, quam fortitudo: ſed hominem cogitate ſibi ſemper præſentiſſimum, eoque

Iſraelitæ iter agerent per deſertum, vel ſub Judicibus (*Gregor. M.*, *Rabb. Eliezer*, *& Juchanan*, *Talmud tract. Baba Batra*, *& alii in Catena apud Chryſoſt. & Polychron.*): ſunt qui ipſum rejiciant ad tempora Davidis & Salomonis (*Talmudiſt. & alii apud Maim. More Nevoch. c. 22.*); ſunt etiam qui ſerius vixiſſe contendant, h. e. vel temporibus, quæ proxime Babylonicam captivitatem anteceſſerunt, vel durante ipſa Babylonica captivitate. Tandem non deſunt aliqui Rabbini, qui ſentiant ipſum vixiſſe ſub Aſſuero & Eſther, atque ſcholam Tyberiadis in Palæſtina rexiſſe, antequam una cum reliquis captivis Babylonem traheretur (*Vid. Talmud tract. Baba Batra*). Judæorum tamen plerique ortum Jobi figunt anno primo ingreſſus Patrum ſuorum in Ægyptum; ejus vero mortem anno quo inde egreſſi ſunt, & de Jobo accipiunt locum illum Numerorum 14. 9. *Receſſit ab eis omne præſidium*, hebraice *umbraculum*, h. e. ut ipſi interpretantur, Dominus abſtulit Jobum Gentibus, & illas eo quod ſolum ipſis ſupererat, præſidio nudavit (*Talmud loc. cit. c. 1. Juchaſim Olam Rabba c. 3.*). Opinio magis recepta aſſerit ipſum vixiſſe ætate Moyſis. Quare poterit ejus Hiſtoria locari inter finem Geneſeos & initium Exodi. Ita Chronica & Hiſtoriæ Hebræor., Arabum, Orientalium, Petav., Uſſer., Voſſ., Sixt. Senenſ. & alii. Vide Calmetum *loc. cit.* & Benedictum Pererium in *cap. 36. Geneſ. diſputatione tertia.*

ſenſu donatum, ut etiam alienis malis vehementer angeretur, eaque humanitate, ut, ſicut de eo dicitur, *fleret ſuper eo, qui afflictus erat, & compateretur pauperi* (Job. 30. 25.), ob inſitam illam & innatam commiſerationem, *quæ ſecum ab infantia creverat, & ſimul de utero matris egreſſa fuerat* (cap. 31. 18.), quod eſt indicium animi vivide caſus percipientis, & naturæ appulſus quoſque acerrime ſentientis: Hominem cogitate, qui pugnando, obnitendo incredibilem contentionem contra dolorem omnem, qui animo altius inſederat, ſtatim adhibuerit, ad reſiſtendum ulterius ſe fortiter comparaverit, & ad alios impetus etiam excipiendos communierit, ut e pugna ſemper victor evaderet. Sapienter ſane & opportune!

Quæ enim ipſi propiora mala, quamque graviora parabantur! *Accedet*, (utar ejuſdem Cypriani verbis lib. cit.) *vulnerum vaſtitas, & tabeſcentes ac fluentes artus edax quoque vermium pœna conſumet*. Accedent amicorum non conſolantium officia, ſed inſectantium iniquæ voces & amara dicteria, & ei accedent, cui *antea ſenes aſſurgentes ſtabant, quo præſente Principes ceſſabant loqui, & vocem ſuam cohibebant Duces* (Job cap. 29.). Jure propterea lamentabitur (cap. 19.): *Uſquequo affligitis animam meam? conſolatores oneroſi omnes vos eſtis* (cap. 16.)? Propinquorum quoque ludibria accedent, contemptus, execrationes: hinc juſtæ illæ querelæ ingemiſcentis: *Quem maxime diligebam, averſatus eſt me* (cap. 19.); *fratres mei præterierunt quaſi torrens, qui raptim tranſit in convallibus* (cap. 6.).

Legimus Ezechiam acerbitate morbi *quaſi leo-*

nis

nis omnia ejus oſſa conterentis, animique ægritudine, inſtante morte, pene confectum: At eidem in domo regia decumbenti, indubiis, ſpeique pleniſſimis Iſaiæ verbis remedii plurimum & ſolatii acceſſiſſe novimus, ut jure de ſe pronuntiaverit: *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima* (Cantic. Ezechiæ Iſaiæ c. 38.). Davidem quoque ſcimus amiſſis omnibus, aula ejectum, urbe deturbatum, ſuorum odio & armis ingratiſſimi filii objectum, in ſolitudinem compulſum fuiſſe (*II. Reg. cap.* 15. *& ſeq.*): at eumdem in tali calamitate amicorum ope confirmatum, & circumſeptum virtute militum animadvertimus, ut proinde illa uſurpare potuerit: *Innocentes & recti adhæſerunt mihi* (Pſal. 24.). Job nihil hujuſmodi aut habet, aut unde habeat, ſperare poteſt. „ Armabit quippe Diabolus „ & uxorem illo antiquo nequitiæ ſuæ uſus inge- „ nio, quaſi omnes per mulierem decipere poſſet, & „ fallere „ (*Cyprian. lib. cit.*). Evam immittet, inquit Auguſtinus, ſed Adam ille non erit (Serm. CXLIII.). *Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es*, ita enim inſultantem rejiciet; *ſi bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus* (Job cap. 2.)?

Enimvero ſi petitus repentina aggreſſione ictus omnes fortiſſime ſuſtulit, & omnia externa mala hauſit conſtantia prope divina, eritne timendum ne ingruentibus aliis, licet propioribus ſuccumbat? „ Si tunc non ejulavit, ita Baſilius (*Homil.* „ *IV. de gratiar. actione*), ſi vocem ingeneroſam „ nullam emiſit, magis vero celebrem illam gratia- „ rum actionem deprompſit, *Dominus dedit, Domi-* „ *nus abſtulit, ſicut Domino placitum, ita & fa-*

„ *ctum*

F 7.1.r

„ *ctum eſt, ſit nomen Domini benedictum* (Job cap. 1.) „ , quid ab eodem jam commonefacto & altiore ratione erecto ſperandum non erit?

Contemplaminor igitur athletam, ita enim populum Antiochenum hortabatur Chryſoſtomus, & exiſtimate vos cernere fimum illum, & ipſum in medio ſedentem. Quin etiam audite virum dolorum de ſe ita loquentem, ut pœnarum quidem atrocitatem explicet, quin tamen animum abjiciat: *Concidit me Dominus vulnere ſuper vulnus: irruit in me quaſi Gigas, me poſuit ſibi quaſi in ſignum* (Job cap. *16.*). Verum ſi totum quod patitur, Dæmonis nequitia patitur, cur Job de Deo quaſi conqueritur? Nimirum quia licet Diabolo agente eſſet illa tentatio, facta tamen tentandi facultas a Deo erat: unde illæ erga Deum non deſperantis, ſed ſuſpirantis, non reprehendentis, ſed amantis teneræ voces: *Clamo & non exaudis, ſto & non reſpicis; mutatus es mihi in crudelem* (Job c.30.). Hinc divinus Scriptor teterrimi hoſtis rabiem & immanitatem initio ſtatim indicaverat, cum dixit (cap.2.): *Satan percuſſit Job ulcere peſſimo a planta pedis uſque ad verticem*. O ulceris vim & acerbitatem incredibilem! Moyſes cum plura mala Genti Iſraeliticæ Dei ſententia denuntiaſſet, certe & illud minitatus eſt vehementiſſime, ſcilicet *ulcere Ægypti, ulcere peſſimo* puniendam fore (*Deuter. cap.* 28.), ſi prævaricata fuiſſet. Quis itaque hujus ulceris, opifice Dæmone, feliciſſimo viro inflicti, ut acerbius fieret quod pateretur, amotis omnibus, quibus etiam miſera vita aliqua ratione allevatur, quis., inquam, gravitatem mente & cogitatione complecti queat? Hoc uno ulcere

Digitized by Google

cere totum corpus alte occupante, omnia membra diſtrahente, & viſcera ipſa penitus pervadente ita divexabatur vir patientiſſimus, *ut tanquam inundantes aquæ, ſic rugitus ejus* (Job. cap. 3.); ejuſmodi dolore exedebatur, ut cum illum exprimere aliquo pacto cuperet, animum ipſum pene affirmaverit, ſi poſſet occidere, hoc uno interiturum: *Poſſident me dies afflictionis, in memet ipſo marceſcit anima mea* (cap. 30.).

Non igitur cenſendum erit nos a veritate exaggerando aberrare, ſi eum non uni dumtaxat ex Martyribus, ſed pluribus ſimul inſpectis comparaverimus. Job ſiquidem eo febrium ardore æſtuabat, ut, quaſi candentium torreretur uſtione laminarum, pene igneſceret: *Oſſa mea aruerunt præ caumate; interiora mea efferbuerunt abſque ulla requie* (c.30.): Eo cruciatu afficiebatur profciſſus vermium amariſſimo morſu, ut, quaſi unguium pectinumque laceratione diſcerperetur, prope occideret: *Qui me comedunt, non dormiunt; in multitudine eorum conſumitur veſtimentum meum, & quaſi capitio tunicæ ſuccinxerunt me* (c. 30.): Idem perinde ac rotarum pondus & atrocitatem ſentiret, *Repente*, ajebat, *contritus ſum: in nihilum redacti ſunt omnes artus mei; convulneravit lumbos meos* (cap. 16.): Idem, quaſi ictibus telorum transfoderetur, *Circumdedit*, exclamabat, *me Dominus lanceis ſuis* (cap. 16.): *ſagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum* (cap. 6.). O igitur ulceris hujus, rurſus dicam, vim & acerbitatem incredibilem! Si enim unica cogitatio, quæ prætervolat, multum affert mœroris, quem putabimus in ipſo fuiſſe ſenſum doloris, qui ani-

mo

mo & corpore firmius & diutius inhæſit? Sed incredibilem quoque Jobi patientiam, firmitatem, conſtantiam, qui cum ſe totum in calamitates porrexiſſet, & adverſus omnem furorem explicaſſet, nullius tamen caſus aſperitatem, nullius injuriæ impetum, nullius doloris gravitatem extimuerit, ſed omnia toleraverit paratiſſime & invictiſſime vicerit, eo uno contentus, quod labiis ſibi relictis, liberrime illa & ſæpiſſime poſſet uſurpare, *Sit nomen Domini benedictum* (*b*).

Jam vero ſi imago hæc leviter a nobis adumbrata, vividius autem atque diſtinctius a divino ſcriptore oculis propoſita, vel agreſtes, ac barbaros emolliret etiam ficta; quam commiſerationem erga talem hominem neceſſe eſt in animis noſtris exſuſcitet, qui de ejus veritate dubitare non poſſumus?

Extitit ſane, extitit exercitatiſſimus Job electa illa palma (*), longe pulchrior palmis Cades, quæ veritatis fructus emiſit, ut ait Chryſoſtomus, palma longe robuſtior & uberior arbore illa, de qua Daniel c. 4. *Cujus aſpectus erât uſque ad terminos univerſæ terræ* (*c*): Extitit eximius veri

(b) Pineda in *c.* 2. Jobi, qui de ejus morbis fuſius egit, notavit triginta & amplius eorum ſpecies. De præcipuo autem morbi genere, quo vir patientiſſimus laboravit, conſulenda Diſſertatio Calmeti.

(*) Id refertur ad illa Jobi cap. 29. v. 18. *Sicut palma multiplicabo dies*.

(c) De Jobi religione dubitare nequimus, dummodo ſanam illius doctrinam, aureas ſententias, ſanctiſſima dogmata de Deo, ejuſque providentia, de animorum immortalitate, de corporum reſurrectione, de Reparatoris adven-

veri Dei amator & præco inter Idumæos Idolorum cultores, quemadmodum inter Chananæos divinitus excitatus eſt inſignis Sacerdos Altiſſimi Melchiſedech (Geneſ. cap. 14.) *non unctus oleo ſacerdotali*, ut ait Hieronym. Epiſt. LXXIII. *ſed oleo exultationis & fidei puritate*. Injuria propterea Hebræorum doctores quidam & Anabaptiſtæ, quos ſemper amans novitatis Lutherus ſecutus eſt, ſuadere conati ſunt, hanc perſonam *ſcenicam* eſſe, arbitratu comminiſcentis ſcriptoris iis omnibus malis atque miſeriis onuſtam. De eo ſiquidem SS. Scriptores meminerunt tanquam de vero homine, qui inter mortales aliquando verſatus fuerit, & ea omnia quæ attigimus, imo longe majora pertulerit, cujus idcirco pietatem atque juſtitiam commendant, patientiam efferunt, doctrinam proponunt (*d*). Meminit Divus Jacobus

---

adventu, deque ſimilibus ſerio cogitemus. *Job exemplar patientiæ*, ait Hieronym. Epiſt. 53. ad Paulinum, *quæ non myſteria ſuo ſermone complectitur? Singula in eo verba plena ſunt ſenſibus; & ut de cæteris ſileam, reſurrectionem corporum ſic prophetat, ut nullus de ea vel manifeſtius vel cautius ſcripſerit*.

Plures etiam in hoc libro myſtici ſenſus inſunt, qui tamen apte prudenterque eruendi ſunt. Probamus enim regulam illam Philippi Presbyteri in cap. 13. Jobi: *Hoc ſciendum quod hi, qui typum præſeferunt Chriſti, ut David & Salomon, cæteri quoque, & Samſon, ſive etiam Job, non in omnibus actibus ſuis, ſed rebus certis quibuſdam in ſe ſignificant Salvatorem*.

(d) *Totus hic liber in explicanda hac quæſtione verſatur; utrum Deus temporariis ærumnis & calamitatibus afficiat ſolos homines impios, ſibique infenſos; & utrum Job in horum numero habendus ſit. Affirmantem partem tuentur* *Ami-*

cobus : *Ecce* , inquit , *beatificamus eos qui ſuſtinuerunt : ſufferentiam Job audiſtis* (Epiſt. c. 5. v. 11.). Meminit auctor libri Tobiæ ; *Hanc* , ait , *tentationem permiſit Deus evenire illi* , nempe Tobiæ , *ut poſteris daretur exemplum patientiæ ejus* , *ſicut & ſancti Job* (Tobiæ c. 2.). Hinc Ezechiel denuncians populo Hebræo Dei minas, ſi Idolorum cultu ſe polluiſſet , aperte ait , idcirco effundenda ſuper ipſum fore malorum genera omnia , famem , beſtias , gladium , peſtem , a quibus ne ratione quidem Noe , Danielis, ac Jobi ereptus fuiſſet : *Et ſi fuerint in medio ejus viri iſti Noe* , *Daniel* , *& Job* , *non liberabunt filios*, *neque filias* , *ſed ipſi ſoli juſtitia ſua liberabuntur* (Ezech. c. 14. v. 14. & 16.). Ipſa porro narratio quanta eſt , quas notas, quamque proprias hiſtoriæ continet ? Nomen viri inſcribitur (*e*) ; terra ubi vixerit nominatur, bona

---

Amici ; negantem propugnat Job , pluribuſque contendit , ſæpe homines ipſos probos , ac Dei amicos , ut de eorum virtute conſtet , conflictari a Deo ; certe ſe non iis obſtrictum criminibus ſentire, quæ tot tantiſque, quibus premeretur , calamitatibus multari deberent . Deus ipſe ſe a nube conſpicuum præbens litem definivit , pronuntiavitque Job recte ſentire : addidit tamen ſibi non probari verba paullo audaciora , quæ ei exciderant , ſeu potius ab eo vis doloris , & æſtus diſputationis extorſerat . Amicos vero Jobi reprehendit ac improbavit, præcepitque eis, ut errata ſua ſacrificiis expiarent. Calmet præf. in Job.

(e) Nomina , ſicut etiam alia adjuncta , ſunt argumento firmiſſimo ad oſtendendam hiſtoriæ veritatem . Hinc D. Irenæus *l.* 4. *c.* 4., Ambroſius *l.* 8. *in Lucam*, Gregorius Magn. *homil.* 40. *in Euangel.* , Euthymius , Lucas Brugenſis aſſerere non dubitarunt , narrationem de Di-

na ejus ſingula recenſentur ; liberorum & amicorum nomina , numerus , patria , colloquia referuntur , ſicut etiam prædonum , qui ejus opes diripuerunt : anni etiam quos a calamitate rurſus beatiſſime vixit ; filii & filiæ quas deinceps generavit , nepotes *uſque ad quartam generationem* quos vidit ; hæc omnia definite diſtinguuntur , ut proinde illa quoque ejus ſpes , qua pene ceciderat, cumulate refloruerit : *In nidulo meo moriar*. Horum profecto nihil ſimile in tota Scriptura occurrit , quoties Parabolæ , uti ajunt , ex occaſione narrantur. Id ſicut certiſſimum eſt in novo , ita quoque perſpicuum in veteri Teſtamento.

Divite & Lazaro , *Lucæ c.* 16. inter hiſtorias , non autem inter parabolas eſſe recenſendam , quamvis alii ſecus opinentur . Hinc Chryſoſt. Homilia de Divite : *Neque in parabola* , inquit , *dicenda nomina ſunt ; parabolæ illæ ſunt , ubi ponuntur exempla & tacentur nomina*. Et Tertullianus De reſurrect. carnis : *Quid illic*, ait, *Lazari nomen*, *ſi non in veritate res eſt?* Accedit , quod loca & urbes , quæ nominantur in hac Hiſtoria , vere tales ſunt ; vera eſt Hus , vera Theman , vera Naamath ; cur igitur non verus Job? qui idcirco *Vir* dicitur , ſive *Homo* , ne quis , ut animadvertunt Origenes , Chryſoſtomus , aliique Patres , certaminum ac patientiæ ſpectata magnitudine incredibili , peregrina quadam & non humana eum natura præditum arbitraretur.

Pondus aliud accederet aſſertioni noſtræ , ſi admittatur, quod oſtendere ſibi proponit Xaverius Mattei diſſertatione XVI. *De nova interpretandi librum Jobi ratione* , nempe Jobum Juriſconſultum fuiſſe . Sane multa ſunt quæ hoc ipſum ſuadent : *Quando procedebam ad portas civitatis , & in platea ponebant cathedram mihi , pater eram pauperum , & cauſam quam neſciebam , diligentiſſime inveſtigabam* . Job c. 29. v. 7. & 16. Vide etiam c. 3. 4. 8. 17. 34.

8-2 714

to. Nathan cum divinitus juberetur Davidem adire, deque adulterio objurgare, narratione divitis cujuſdam & pauperis, quorum ille oves quamplures habebat; hic autem unam dumtaxat, quam nutrierat cum filiis de pane ipſius comedentem, & bibentem de calice, vi tamen ab avariſſimo divite injuſte ſurreptam, adulterum Regem & homicidam ad pœnitentiam perduxit (*II. Reg. c.* 12.). Cui tamen legenti non ſtatim appareat illud a Propheta confictum fuiſſe? Sicut quoque confictum apparet id quod mulier illa Thecuitis eidem Davidi concinnaverat Joabi ingenio (*II. Reg. c.* 14.) ut Abſalonem Patri conciliaret, atque ita ab exilio in patriam revocaretur. Nihil tale prorſus in Jobi hiſtoria, quam idcirco ipſe Divinus Spiritus (*f*) tanquam veram ante omnium

(f) *Librum hunc eſſe Canonicum & authenticum, omnes omnino Chriſtianorum Eccleſiæ conſentiunt*. (Vid. Natal. Alex. Hiſt. V. T. diſſert. XIII. propoſ. 3. & Concilia & Patres ab eo citat.). *Hebræorum nonnulli* (Vid. in Talmud tract. Baba Batra par. 4.), *aliqui etiam ex Chriſtianis* (Theodor. Mopſueſt. ex Synod. V. Œcumen. collat. 4. art. 63.) *id in dubium revocarunt. Sed hi & pauci ſunt, & ſectatores habent admodum paucos. Theodorus Mopſueſtenus non in Job ipſum, ſed in ejus tantum vitæ auctorem invehitur.* Calmet præf. in Job.

Contra divinam inſpirationem hujus libri, nonnulla a quibuſdam Hæreticis excogitata ſunt, quæ graviter refutavit Natalis Alexand. *Hiſtoriæ Eccleſ. V. T. diſſert.* 13. *prop.* 3. aliique Interpretes. Nos in præſentia ad examen nequaquam revocabimus ea loca, in quibus Job de ſe ſplendide loquitur; non ea in quibus minus recte de Deo ſentire videtur; non ea in quibus ægre ferentis, imo deſperantis more æſtuare, animum deſpondere,

Digitized by Google

nium oculos conſtituit, ut inde commoditatis plurimum atque præſidii in omnes miſeros redundaret. Hinc in Eccleſia Græca atque Latina in ejus cultum feſti dies inſtituti, templa erecta, hinc quotannis jucunda illa recordatio: *In Terra Hus Sancti Job Prophetæ admirandæ patientiæ Viri* (*g*).

Fruſtra his animadverſis objiceretur ſilentium Flavii Joſephi & Philonis (*h*), qui utpote hebræi Judaicæ gentis hiſtoriam perſequentes non

dere, mortem optare exiſtimatur; quorum nonnulla commoda aliqua interpretatione emolliri poſſunt; aliqua propugnari & defendi debent; quædam etiam dari queunt, quin tamen tanti viri conſtantiæ & patientiæ multum officiant: qua de re plura apud SS. Eccleſiæ Patres. Animadvertendum enim eſt, percipiendi, loquendique rationem Orientalium acrem eſſe, vividam & elatam; eorum tales eſſe imagines & voces, ut modum videantur quandoque excedere, licet non ita ſit. Accedit quod niſi ſint iniqui prorſus rerum æſtimatores, qui in Jobi lectione ſerio immorantur, magis permovebuntur invicta illa ejus patientia ac fortitudine ad omnia toleranda, quam oſtendantur paucis quibuſdam maculis.

(g) *Nomen Job legitur in antiquis Martyrologiis adjecto titulo Prophetæ, Sancti & Martyris; ejuſque cultus late propagatus eſt in Italia præſertim & Hiſpania. Plures Eccleſiæ & Xenodochia in ejus honorem excitata ſunt; & ſeculo ſeptimo extabat Conſtantinopoli Templum & Monaſterium ſub ejus nomine conſecratum.* Calmet præf. in Job Martyrol. Rom. ad diem 10. Maji.

(h) Animadvertendum eſt Flavium *lib. 1. contra App.* aperte admittere more Hebræorum libros divinos viginti duos: unde colligitur hunc Hiſtoricum ſin minus clare, ſaltem tacite, Jobi quoque librum & hiſtoriam inter SS. Scripturas comprehendiſſe. Si enim hunc librum expunxiſſet, dicere neceſſe habuiſſet viginti unum dumtaxat eſſe libros Canonicos, non autem duos ſupra viginti.

ea neceſſitate conſtringebantur, ut Jobi vitam conſcriberent; Jobi, inquam, qui non ex ſtirpe Hebræa, ſed ex Idumæa (*i*) originem traxerat. Præterea ſi uterque omiſit plura etiam pertinentia ad hiſtoriam Hebræorum, mirum eſſe non debet utrumque Jobi quoque perſonam prætеriiſſe. Denique cum uterque quædam etiam divi-

(i) Opinio quæ aſſerit Jobum Idumæum fuiſſe ex ſtirpe Eſau, nititur præcipue antiquiſſima quadam additione, quæ habetur in exemplaribus Verſionis Septuaginta, & in antiqua Vulgata Latina ad calcem, in qua additione apertis verbis dicitur Job ex ſtirpe Eſau & quintus ab Abrahamo, Euſebius *Præparat. Euangel. l. 9. c. 21.* citat Alexandrum Polyhiſtorem referentem Ariſtæi ſententiam ex eadem additione ſumptam. Non legitur additio hæc in textu hebraico, neque in Aquila, neque in Symmacho, ſed Theodotion Verſioni Septuaginta religioſius adhærens eam præterire non eſt auſus, ſed adjecit Verſioni ſuæ. Nos ab hac opinione tam vetuſto monumento fulta atque munita recedere nec audemus nec poſſumus, niſi major quædam contraria vel ratio vel auctoritas proferatur, quod quidem hactenus a nemine eorum qui contra ſentiunt, præſtitum eſt; præſertim cum admiſſa hac hypotheſi ſatis commode explicentur quæcunque pertinent ad perſonam Job & ad ejus amicos. Ita ferme Calmet *præf. in Job*. Hæc quoque opinio corroboratur auctoritate Græcorum, Latinorumque Patrum, & interpretum fere omnium. Hac de re plura Natal. Alexand. *H. Eccleſ. V. T. diſſert.* 13. *prop.* 2., Alphonſus Niccolai *lect.* 89. *in Geneſ.*, Benedictus Pererius *in caput* 36. *Geneſ. diſput.* 2., Alphonſus Toſtatus Epiſcopus Abulenſis *in caput* 22. *Geneſ.*, Pineda *in caput* 1. *Jobi*, Valoiſius *Academ. Pariſienſ. Inſcript. Tom. I.* Rurſus Jobum Idumæum fuiſſe vel ex eo alii probant, quod in terra Hus habitaſſe dicatur: *Vir erat in terra Hus* c. 1. Job, & in ea Hus, quæ non ad Aquilonem, ſed ad Orientem Judææ ſita

vina aliter extulerit, ac efferunt SS. Litteræ, damni loco habendum non eſt hoc de Jobo in eorum ſcriptis ſilentium. Quanquam num pluris faciendum ſilentium duorum Hebræorum ſcriptorum, quam apertum Ezechielis, Tobiæ, Jacobi & Ariſtæi teſtimonium (*k*)? Rurſus Flavii & Philonis ſilentio opponimus interpretes Græcos, Chaldaicos, Syriacos & auctoritatem veterum Hebræorum, qui hanc tanquam divinam, & *authenticam* hiſtoriam in ſuo canone deſcripſerunt; Patres omnes, videlicet Originem (*l*), Tertullianum (*m*), D. Cyprianum (*n*), Baſilium (*o*), Chryſoſtomum (*p*), Auguſtinum (*q*), Hieronymum (*r*), Ambroſium (*ſ*), Gregorium Magnum, Eccleſiam Græcam & Latinam, Judæos, Catholicos ac Proteſtantes, qui traditione nunquam interrupta Jobi hiſtoriam veram eſſe ac certam exiſtimarunt. Stabilita igi-

ſita erat: nam verſ. 3. ita legitur: *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*. Hus porro Orientalem fuiſſe in regione Edom, ſive Idumæa cum ex aliis Scripturæ locis, tum ex lament. 4. Jeremiæ colligunt: *Gaude & lætare Filia Edom, quæ habitas in terra Hus; ad te quoque perveniet calix, inebriaberis atque nudaberis*.

(k) *Ariſt. apud Alex. Polybiſtor. ab Euſeb. citat. l. 9. præpar. c. 25.*

(l) *Homil. IV. in Ezechiel.*

(m) *De patientia c. 24.*

(n) *De bono patient.*

(o) *Hom. IV. de gratiarum actione.*

(p) *Homil. V. ad Populum Antioch.*

(q) *Serm. 81., & 91., & 343.*

(r) *Epiſt. 303.*

(ſ) *Lib. de Paradiſo c. 3.*

tur ejus veritate concludamus D. Auguſtini verbis ita exclamantis : *O virum putrem & integrum , o fœdum & pulchrum , o vulneratum & ſanum , o in ſtercore ſedentem & in cælo regnantem! Si amamus , imitemur.*

AS.

Digitized by Google

Digitized by Google

In rebus obſcuris, atque a noſtris oculis remotiſſimis, ſi qua inde ſcripta etiam divina legerimus, quæ poſſint ſalva fide, qua imbuimur, alias atque alias parere ſententias, in nullam earum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut ſi forte diligentius diſcuſſa veritas eam recte labefactaverit, corruamus, non pro ſententia divinarum Scripturarum, ſed pro noſtra ità dimicantes, ut eam velimus Scripturarum eſſe, quæ noſtra eſt; cum potius eam, quæ Scripturarum eſt, noſtram eſſe velle debeamus.

D. Auguſt. de Geneſi ad litteram lib. 1. c. 8.

Digitized by Google

ASSERTIO TERTIA.

Filia Jephte non fuit immolata per cruentam mactationem, ſed alio modo, hominibus conveniente ac proprio, Deo devota ac dicata.

HOneſti certaminis & multiplicis diſputationis cauſa extitit votum, quo Jephte Populi Iſraelitici (*a*) Judex pugnaturus contra Ammonitas, ſingulari quodam ſe religionis ſacramento obligavit. De eo quam variæ, diſcrepanteſque ſententiæ proſeminatæ fuerint, SS. Litterarum interpretes, alioſque auctores pervolventibus in aperto eſt. Nihil modo aut de illis dictum volumus, qui putaverunt Jephte in ſuo voto ea ſolum bruta animantia ſpectaſſe, quæ ſacrificiis a lege deſtinata fuiſſent; aut de illis, qui non tantum munda, uti ajunt, animalia, verum etiam immunda comprehendiſſe exiſtimarunt (*b*). Etenim præter ea aliquid aliud mente complexum eſſe, ex eo manifeſtum fit, quod relata victoria, cum ſibi occurrentem Virginem Filiam (*v.* 34. 35.) intuitus eſſet, intellexerit teneri ſe ad votum in ea etiam complendum.

Fuerunt igitur qui pro certo ponerent, Jephte cum de animalibus, tum de hominibus in voven-

(a) *Judic. c.* 11. *v.* 30. 31.
(b) Vide Synopſ. Criticorum *in caput* 11. *Judic.*

do revera cogitaſſe (*c*), & defenderent votum ab eo ita conceptum fuiſſe, ut animalia quidem in holocauſtum offerre animo intenderit; homines vero diſſimili ritu, illiſque proprio, divino cultui dicare & addicere. E contrario fuerunt qui primum nec gravate concederent; alterum tamen negarent, ſuſtinentes idem votum conſimili modo in utriſque perfici debuiſſe, & credentes (*d*) illud in Virgine Filia perſolutum cruenta mactatione. Quod tamen cum nimis durum viſum eſſet aliis quibuſdam cum hiſce poſtremis ſentientibus, ſatius duxerunt aſſerere, aut Jephte ipſum per ſe re maturius diſcuſſa immolatione abſtinuiſſe, aut certe graviorum hominum conſilio, vel etiam Sacerdotum judicio fuiſſe impeditum, quominus cogitata perficeret.

Atque hinc deſerta facti, ut dicitur, quæſtione, alia juris excitata fuit, & defendi ex una parte cœptum eſt, vota de victimis humanis tolerantia quadam permiſſa fuiſſe in V. L.; propugnari, licet nequaquam laudabiles illi habendi eſſent, qui hujuſmodi pignore ſe devinxiſſent, ea tamen ſemel nuncupata, ſuperveniente religionis au-

(c) Hoc etiam eruitur ex Patribus, Theodoreto *quæſt.* 20. *in Judices*, Divo Thoma 2. 2. *q.* 88. *art.* 2., Ambroſio *lib.* 3. *de Officiis c.* 12., Auguſtino *quæſt.* 49. *in Judic.*, Juſtino Martyre, ſive alio auctore, *quæſt. & reſponſ. ad Orthodoxos:* qui Patres votum hoc *indefinitum* dicunt, unde adhibent illa, eum voviſſe *quidquid* primum occurreret: nominant etiam animalia, quæ offendere potuiſſet.

(d) Calmetus *in Diction. Hiſtor.*, *& in Comment. ad c.* 11. *Judic.* loquens de voto Jephte non affirmat Filiam immolatam fuiſſe, ſed ait, id *credi & putari*.

Digitized by Google

auctoritate, reddi, ſolvique potuiſſe, atque imo debuiſſe; poſtremo contendi ita a Jephte, ratione voti, factum eſſe: quæ ſi vera ſit opinio, imprudens ille & immitis extitiſſet in vovendo, in reddendo non item. Ex altera vero parte conſtanter id totum negari, & oſtendi hujus generis vota juri naturæ contraria, & quorum nuſquam in SS. Litteris veſtigium extaret, nullo pacto vel in illa Lege ſuſcipi licuiſſe (*e*), multoque minus exſolvi, niſi certo conſtitiſſet de divino aliquo afflatu & inſtinctu.

Jam vero hujus etiam divini afflatus & inſtinctus patrocinium ſuſceptum fuit, cum judicatum eſſet hac ratione opportune eximio Viro conſultum iri. Verum cum animadverſum (*f*) fuiſſet Jephte generali quodam impulſu, divinitus permotum ad vovendum, ſibi autem poſtea relictum fuiſſe, ut ad quid vellet, animum inclinaret; idcirco viſum eſt aliis, qui ſe tandem ab omnibus tam implicata-

(e) Ludovicus Cappellus *in Diatriba* de voto Jephte hæc habet: *Deus non probabat, ut quis perſonam humanam ſibi per* Cherem, *ideſt* anathema *devoveret. Sed ſi quis adeo temerarius erat, ut votum hujuſmodi nuncuparet, non de beſtia, aut agro tantum, ſed de perſona etiam, quæ ipſius eſſet juris, volebat eam morte affici* &c. Et putat *Levitic. cap.* 27. hac ſuper re legem eſſe. Ejus autem opinionem refutant omnes ferme interpretes, præſertim vero Seldenus *lib.* 4. *de Jure Natur. & Gent.* juxta diſciplinam Hebræorum, qui eruditiſſime verſatus eſt in hac materia, & copioſiſſime; probatque legem anathematis unice ſpectaſſe hoſtes Dei & Hebræorum: quod multis exemplis confirmat. Unde mirum, Calmetum in diſſertatione de voto Jephte, relicto Seldeno, Cappelli opinionem ſecutum fuiſſe.

(f) D. Thomas 2. 2. *q.* 88. *art.* 2. *ad* 2.

catarum quæſtionum ambagibus expedire voluiſſent, repudiatis reliquis ſententiis, ſtatui poſſe Jephte arbitratu ſuo victimam ſolum humanam elegiſſe, hanc unam ad ſacrificium deſignaſſe, proptereaque inconſiderate & ſtulte voviſſe, atque ita infando ſcelere ſe maculaſſe, ſi talem victimam in ſacrificium revera obtuliſſet. Iſta ferme ſunt quæ a Catholicis & Heterodoxis in hac materia inventa, tractata, diſputata ſunt (*g*). Non vacat Hebræorum mentem hac ſuper re ſubtilius inquirere (*h*). Illi acrius redarguendi eſſent & refellendi, qui SS. Litteras odio implacabili inſectantes, eo pravo conſilio, libenter admiſerunt atrocem inſontis Puellæ mortem, ut ejus facinoris crudelitatem in Deum ipſum rejicerent, rati divinis Scripturis ſe fidem & auctoritatem abrogaturos, ſi clementiam & manſuetudinem imperii, legiſque divinæ in tantam inhumanitatem convertere potuiſſent. *De Filia Jephte*, inquit Auguſtinus

(g) Vide SS. Criticorum Synopſ. & Annot., Lyranum, Calmetum, Wouters, Tirinum, Eſtium, Alphonſum Toſtatum, *ad caput* 11. *Judicum*; Malvendam, Ludovicum Cappellum *in Diatriba* de voto Jephte; Hadrianum Relandum *Antiquit. Sacr. c.* 14., Seldenum, Joannem Granellium *lect.* 236. *&* 237., Conſtantinum, *Epiſt. Critic.*, Hiſt. Univerſal. Auct. Anglor. *in nota. Vol.* 3. Morinum *Academ. Pariſienſ. Inſcript. & Lit. t.* 1. & Interpretes paſſim.

(h) *Verum eſt*, inquit Seldenus, *non unicam apud eos reperiri de voto Jephte ſive concipiendo, ſive ſolvendo ſententiam. Etenim ſunt qui eum illud tam de perſonis hominum, quam de aliis animalibus concepiſſe, & filiam immolando ſolviſſe volunt: aliis neque eam immolaſſe, neque immolationi perſonam aliquam deſtinaſſe aſſerentibus*. Quod etiam ex D. Hieronymo *lib.* 1. *contra Jovin.* erui poteſt.

Digitized by Google

nus quæſt. 49. in Judic., *ſolet eſſe magna & ad dijudicandum difficillima quæſtio, quibuſdam quid ſibi hoc velit noſſe cupientibus & pie quærentibus; quibuſdam vero, qui Scripturis Sanctis imperita impietate adverſantur, hoc maxime in crimen vocantibus, quod Legis & Prophetarum Deus humanis ſacrificiis fuerit delectatus*. Quam quidem impietatem vel inſaniam etiam nuperrimi quidam (*i*) æmulati ſunt ferentes animo iniquo intemeratæ religionis ſanctitatem, & Scripturarum veritatem, utpote agendi, opinandique licentiæ omnino contrariam; auſi ob id utraſque ſin minus aperte adoriri, perſtringere tamen in jocis & hilaritate ſtultitiæ comite, quorum ſatius eſt miſerari cæcitatem, quam refutare nequitiam.

Sed jam ſententiam quam ſelegimus, quæque magnis viris, iiſdemque hebraicæ linguæ peritiſſimis convenientior viſa eſt & videtur, atque ipſius Scripturæ narratione, ut vera, confirmatur, nimirum Filiam Jephte non cruenta mactatione, ſed alio ritu hominibus proprio Deo oblatam fuiſſe, ſuis momentis communiamus. Præjudicatæ parumper opiniones ſuſtineantur, teſtimonia aliunde arceſſita, & auctoritates, quibus plerumque implicatæ res definiuntur, abſcedant SS. Litteris locum conceſſuræ.

Primum fixum ſit & ſtabilitum non modo licere, verum etiam quandoque oportere in ancipitibus & obſcuris Scripturæ locis evolvendis & in-

(i) Vide Nonnotum *de erroribus Voltærii t. 2. c. 17.*, qui Nonnotus pro noſtra ſententia eſt, quoad Jephte votum.

intelligendis adire textus primigenios, ubi in verſionibus aliquid eſt, quod dubium injiciat, & negotium faceſſat. In id conſentit D. Hieronymus in lib. adverſus Helvidium, in Epiſtolis ad Marcellam, ad Sunniam, & Fretellam, in ſuis ad Zachariam commentariis. *Ut veterum librorum fides*, ita in Epiſt. ad Lucin., *ex Hebræis voluminibus examinanda eſt*, *ita novorum veritas græci ſermonis normam deſiderat*. Hieronymo conſonat Auguſtinus in libris de Doctrina Chriſt. & de Civitate Dei: *Cum diverſum*, inquit de Civ. lib. 15. c. 13. *aliquod in utriſque codicibus invenitur*, *quandoquidem ad fidem rerum geſtarum utrumque eſſe non poteſt verum*, *ei linguæ potius credendum*, *unde eſt in aliam per interpretes facta translatio* (*k*). Quare ipſum Tridentinum Conci-

(k) Cappellus, ut eſt apud Waltonum in Proleg., *ex ipſa Scriptura*, inquit, *judicari poterit quænam lectio ſit verior*. Gretſerus, *plenitudo*, ait, *& integritas Hebræi textus habet prærogativam iſtam*, *quod non modo res ſignificata*, *ſed & ipſa verba immediate ſunt a Deo: quod de tranſlatione non contingit*, *cum verba ſuppeditet interpres*, *& quidem humano ſtudio*, *non illo peculiari ductu & inſtinctu*, *quo Scriptor Canonicus ducitur & regitur*. Ipſe Waltonus linguarum Orientalium peritiſſimus monet *ad textum originarium recurrendum eſſe*, *niſi ubi plane conſtet errorem in textum irrepſiſſe*. Hic autem nemo dubitat de corruptione textus. Serarius in proleg. c. 19. quæſt. 12. *ſatis manifeſtum eſt fontem purum rivo quantumvis puro cum prærogativa quadam præferendum*. Sententia hæc communis eſt omnium Interpretum. Eruditiſſimus Calmetus frequentiſſime textum conſulit in commentar. Vide præcipue diſſert. de Naaman Siro ad *l.* 4. *Regum c.* 5. *v.* 18. qui Naaman ſecundum Vulgatam Eliſeum ita rogat: *Si adorave-*

Digitized by Google

cilium *Seſſ. IV.* (*l*) cum hanc noſtram Vulgatam Verſionem approbavit, nihil tamen detractum voluit Hebraicis, Græciſque fontibus.

His præmiſſis, concedimus quidem in verſionibus græcis LXX. (*m*), & latinis votum Jephte his verbis comprehendi: *Quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino:* ſed etiam concedi debet, aliter votum hujuſmodi efferri in textu hebrai-

---

ravero in templo Remon, ut ignoſcat mihi Dominus, ſecundum textum, *ſi adoravi* &c., per illa veniam petit quaſi de culpa committenda, quod durum eſt: per hæc veniam poſtulat de culpa commiſſa, quod eſt laudabile.

(l) Bellarminus lib. 2. de verbo Dei c. 10. *Patres*, inquit, *nullam fontium mentionem faciunt, ſed ſolum ex latinis verſionibus, quæ nunc circumferuntur, unam delegerunt, quam cæteris anteponerent*. Et Salmeron, qui etiam Concilio interfuit proleg. 2. *Liberum*, ait, *reliquit Concilium omnibus qui Scripturas Sacras profundius meditantur, fontes Hebræos & Græcos, quatenus opus eſt, conſulere.*

(m) Fuit olim opinio quorundam, etiam Patrum, LXX. Interpretes divinitus afflatos fuiſſe in vertendo. Auguſtinus *l. 2. de conſenſu Euangeliſtarum*, licet fateur eos multis in locis diſtare ab ea veritate, quæ in Hebraicis codicibus invenitur, eos tamen excuſat inquiens, illos eo ſpiritu interpretatos fuiſſe, quo & illa, quæ interpretabantur, dicta fuerant. At D. Hieronymus *præfat. in Pentateuch. ad Deſider.* eos inſpiratos fuiſſe omnino negat, nec Prophetas credidit, ſed ſolum Interpretes. Et *præf. lib. 15. ad Iſaiam* notat, Apoſtolos & Euangeliſtas, ubi aliter in hebraico, aliter in veteri editione ſenſus eſt, hebraicum magis, quam LXX. Interpretes ſequi. Et in Epiſt. 57. ad Pamach. *Longum eſt*, inquit, *nunc revolvere quanta LXX. de ſuo addiderint, quanta dimiſerint.*

braico (*n*) : *Et erit egrediens , quod egredietur de foribus domus meæ in occurſum mihi in redeundo me in pace a filiis Ammon , & erit Domino , & aſcendere faciam illud holocauſtum .* Ita Joſeph & David Kimchii, Vatablus, Munſtherus , Lyranus , plures ex ſacris Criticis , (*Synopſ. & annotat.*) & etiam e noſtris exercitatiſſimi viri , qui textum ita ſonare confirmant . Ludovicus ipſe Cappellus , & quidem alii contrariæ opinionis , fatentur verba textus hujus eſſe ſignificationis , atque ita poſſe converti , ut citati auctores reddiderunt .

Porro hæc : *erit egrediens , quod egreſſum fuerit,* ab illis diverſa ſunt: *quicunque primus fuerit egreſſus :* Per hæc enim verba verſionum humana perſona deſignari videtur ; non autem per illa hebraici exemplaris . Poſtrema quoque illa : *erit Domino , & offeram holocauſtum*, poſſe ita accipi, ut duo diverſa ſignificent , omnes, etiam adverſarii concedunt . Etenim certum eſt particulam *&* ſive , ut eſt in textu ו, *vau* , aliquando copulare , aliquando diſtinguere . Animadverterat hoc Kimchius in caput 21. Exodi , ubi illa leguntur : *Percutiens patrem ſuum aut matrem morte morietur* , quo in loco uſurpatur illa eadem particula *vau* , quæ in voto Jephte adhibetur . Calmetus etiam in caput 12. Exodi v. 5. , ubi ſunt hæc : *Juxta quem*

(*n*) וְהָיָה הַיּוֹצֵא אֲשֶׁר יֵצֵא מִדַּלְתֵי בֵיתִי לִקְרָאתִי בְּשׁוּבִי בְשָׁלוֹם מִבְּנֵי עַמּוֹן וְהָיָה לַיהוָה וְהַעֲלִיתִהוּ עוֹלָה

quem ritum tolletis & hædum, animadvertit in hebræo ita legendum: *Tolletis de agnis & hædis*; quod in commentariis explicuit, *de agnis vel hædis*, ubi nimirum *vau* ponitur. Hinc Du-Hamel (*o*) in proleg. *Particula*, inquit, *hebræa* vau *interdum pro copulativa* &, *interdum pro disjunctiva* aut *ſumi ſolet* (*p*). Sentio præclare agi pro Jephte etiam ab adverſariis, qui iis, quæ diximus non gravate ſubſcribunt; atque ita negare nequeunt, alia ratione illius votum opportune explicari. Jephte nimirum nequaquam ſpopondit de humanis duntaxat perſonis victimam Deo diſtincte ac definite; ſed indiſcriminatim eidem ſpopondit quidquid demum regreſſus de ſuo offendiſſet: ita tamen, ut ſi gregem armentumve obvium habuiſſet, partem ejus, aut etiam totum in holocauſtum obtuliſſet; ſi vero aliquem ex domeſticis, illum eo modo dicaſſet, quo homines dicari poterant & conſueverant. Neque vero verba illa:

(o) Vide Synopſ. Critic. *in c.* 11. *Judic.* Lexicon Zanolini, & alia etiam Lexic.

(p) Neque iſta ſubtilia credenda ſunt & nimis acuta. Quoties enim in SS. Litteris unius voculæ ſignificatione rite perceptæ, pergraves quæſtiones definiuntur! Exemplo ſit locus ille Matthæi *c.* 21. *v.* 17. de ficu arefacta ex *maledictione* Salvatoris; cujus maledictionis cauſam reddit D. Marcus *c.* 17. *v.* 13. *Cum veniſſet ad eam, nihil invenit præter folia; non enim erat tempus ficorum*. Si non erat tempus ficorum, animadvertit Xaverius Mattei diſſert. V. *De Poeſi Hebr.* cur ei maledixit? Ac poſtquam plurium interpretationes attuliſſet, rem ita conficit: *particula* u *quæ redditur* non, *ſignificat eo in loco* ubi, *& ſenſus eſt: ubi enim erat, erat tempus ficorum*. Et hoc ex uno accentu pendet.

illa: *Quod mihi occurrerit*, aut *egreſſum fuerit in occurſum meum*, neceſſe habemus ita accipere, ut unice denotent ex hominibus aliquem data opera, & gratulandi cauſa in occurſum proſilientem, cum ſonent in ſimplici & uſitato Scripturæ ſenſu: *quidquid offendero*: aut, *quidquid oſtendet ſe ſe mihi & occurret*: Et de fortuito adventu non ſolum hominum, ſed etiam animalium adhiberi verbum *occurrere*, Scripturæ exemplis fit perſpicuum: Cap. 14. Judic. *Catulus leonis* dicitur *occurriſſe Samſoni*; Amos c. 5. v. 19. *Occurrat ei urſus*; ſimilia *Proverb. c.* 17. *v.* 12. & *Reg. I. c.* 17. 34., & alibi.

Veniamus ad alia, quæ ſerius inſpecta ſententiæ noſtræ mirifice proderunt. *Factus eſt*, inquit ſacer Scriptor (c. 11. v. 29.), *ſuper Jephte Spiritus Domini*, *& circuiens Galaad &c. votum vovit Domino*. Si Jephte divino Spiritu induitur jam voturus, cui perſuaſum non erit, eum recte voviſſe (*q*)? Neque enim Spiritus ille fuit ſolum ſpiritus fortitudinis, ſed etiam pietatis, atque ſapientiæ. Quare Calmetus in commentariis: *Deus*, ait, *illum ſpiritu ſapientiæ*, *fortitudinis*, *conſilii replevit*; *communicavit illi lumen*, *& gratiæ vim*. Quod D. etiam Auguſtinus quæſt. cit. confirmat. Quid quod verſiculo 37. fit mentio de virginitate, & non de morte? Qua ratione

(q) In voto Jephte adhibetur vox *neder*; & nihil eſt, quod indicet fuiſſe votum *cherem*, ideſt, *anathema*: *cherem* importat mortem hoſtibus anathemati obnoxiis inferendam; non autem *neder*. Vide Hadrian. *Reland. Antiquit. ſacr. c.* 14.

וַיִּדַּר יִפְתָּח נֶדֶר לַיהוָה

ne permotus Sacy (*in explicat. c.* 11. *Judic.*) affirmat jure poſſe defendi conſecrationem filiæ Jephte in virginitatem (*r*). Quod ſi Jephte

D v. 35.,

(r) Virginitas in V. L. nequaquam opprobrium fuit, ut quidam exiſtimant. Ea enim in ſe ſpectata virtus eſt; nec eſt cur in N. T. talis habeatur, in Veteri autem talis non fuerit. *Quod obſervatio Virginitatis*, inquit, Lyranus in c. 11. Judic., *non ſolum tempore Euangelii, ſed etiam Veteris Teſtamenti fuerit laudabilis & Deo accepta, patet per exempla, Eliæ nimirum, Raziæ Macc.* 2. *c.* 14., *Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, Divi Joſephi, ut tenent Doctores Catholici*. Et tamen adhuc erat ſtatus Veteris Legis. Paulus etiam cum adhuc Legis Veteris æmulator eſſet, Virginitatem ſervavit. D. Hieronymus Epiſtol. 22. ad Euſtochium: *Virgo*, ait, *Elias, Eliſeus virgo, Virgines multi filii Prophetarum : Jeremiæ dicitur*: Et tu ne accipias uxorem. De Maria Sorore Moyſis opinio eſt SS. Patrum, Virginem fuiſſe. Idem Hieronymus cit. epiſt. ea explicans : *maledicta ſterilis, quæ non pariebat*, aperte ait, nequaquam fuiſſe probro Virginitatem, ſed probro fuiſſe fœminis maritatis, ſi filiis caruiſſent. Vide hac ſuper re *diſſert. Patris Martini Ordinis S. Benedicti*. Neque filia Jephte dicenda eſt ad virginitatem coacta fuiſſe; ipſa enim ſponte conſenſit, inquiens v. 36. *Fac mihi quodcunque pollicitus es, conceſſa tibi ultione atque victoria de hoſtibus tuis*. Quanquam, ſi volunt adverſarii eam coactam fuiſſe ad mortem, cur timuerint nobis concedere cogi etiam potuiſſe ad virginitatem? Jephte porro Pater erat & Judex, & parentibus licuiſſe vovere filios, non tamen ad mortem, patet ex Levit. *c.* 27. Anna vovit filium Samuelem & perpetuo vovit miniſterio Tabernaculi. Vide etiam *l.* 11. *Reg. c.* 20. *Si ſoror virgo*, inquit Hieronym. contra Jovin. *moritur Sacerdotis, quomodo ipſe ad patris ac matris exequias, ita ad eam jubetur incedere; ſi vero nupta ſit, quaſi aliena contemnitur*. Unde patet magno in pretio habitam tunc quoque fuiſſe virginitatem. Virgines puellæ *Numer. c.* 30. in domo

pa-

v. 35. , dixit , conſpecta Filia , *Heu me* , *Filia mea* , *decepiſti me* , *& ipſa decepta es* , non ideo ſequitur , Patrem de morte Filiæ futura doluiſſe ; cum ejus doloris cauſa jure referri poſſit ad *ſtatum innuptum filiæ* , ut inquit Relandus : in quo quidem ſi aliqua culpa eſt , ignoſcenda Patri eſt. Hinc in Hebræo pro *decepiſti* habetur *humiliaſti* , *afflixiſti* (ſ) , fatente etiam Calmeto (t). Unde Eſtius, *Dicit ſe humiliatum*, ait, *& conturbatum, quia per ejus occurſum* , *quæ unica erat ei Filia* , *amputabatur ſpes omnis poſteritatis* , *quod erat viro principi grave malum* (u). Ipſa Scriptura hoc ſuperius innuerat *v.* 34. inquiens : *Non enim habebat alios liberos* . Porro verbum *humiliandi* , *affligendi* illis opportune congruere , qui defectu prolis carent ſpe poſteritatis , exempla Scripturæ luculenta pervincunt (*Gen. c.* 15. *v.* 2.

& 3. ,

---

paterna , ſicut etiam uxores in domo viri vovere poterant ; & legem votorum , ait Calmetus cum A Lapide, Bonfrerio & aliis, intelligendam eſſe quam latiſſime ; & ſicut uxores vovere poterant abſtinentiam a concubitu de conſenſu virorum , ſic illæ virginitatem ſaltem ad tempus de licentia parentum . Non ſolum Sacerdotes , ſed etiam cæteri aliquibus de cauſis prohibebantur aliquando ex lege accedere ad uxores.

(ſ) הַכְרֵעַ הִכְרַעְתַּנִי Vatablus , *incurvando incurvaſti me;* quod cum verbo humiliandi conſonat.

(t) Vide Synopſim Critic. & annotata.

(u) Per filias, defectu marium , in V. L. nomen Patris aliquo modo perpetuari potuiſſe , exemplo ſunt filiæ Salphaad Numer. c. 27. *Pater noſter*, inquiunt, *mortuus eſt; hic non habuit mares filios* , *cur tollitur nomen ipſius de familia ſua?*

Digitized by Google

& 3., & c. 29. & 30., *Ruth c.* 1. *v.* 21., *Reg. lib.* 1. *c.* 1.).

Neque cauſæ noſtræ illa officiunt : ***Exinde mos increbuit in Iſrael & conſuetudo ſervata eſt , ut poſt anni circulum conveniant in unum Filiæ Iſrael & plangant filiam Jephte*** v. 39. & 40. Etenim verbum hebraicum *thinnah* (*x*) , quod vertitur *plangere* , ſignificat etiam *diſſerere* , *colloqui* , *celebrare* , *conſolari* . Hinc Kimchius , *Conveniebant* , inquit , *ut amicis colloquiis eam de virginitate & de ſtatu vitæ ſolitario ſolarentur* (*y*) . Sixtinus Amama notavit verbum *thinnah* (*z*) occurrere in hoc eodem libro Judic. *c.* 5. *v.* 11. ubi ſunt hæc : *Narrentur juſtitiæ Domini* (*a*) . Neque enim recte ibi verti poſſet : *Plangantur juſtitiæ Domini* , cum in illo Cantico Debbora gloriam Domini concelebret . Rurſus ſi verbum illud non ita accipiatur, ut diximus, conſequeretur ſuperſtitioſam quamdam conſuetudinem obtinuiſſe in Iſ-

rael,

(x) תִּנָּה

(y) Munſterus , *ad conſolandum eam* , ſive , ut alii dicunt , *ut loquerentur cum ea* .

(z) Vide SS. Crit. annotat. & Hiſt. univerſ. Script. Anglor. in nota.

(a) Non eſt neceſſe dicere , Jephte filiam fuiſſe addictam Tabernaculo, ibique concluſam . Poterat enim etiam in domo paterna votum explere . Quanquam & illud dari poſſet , quod probatur magnis viris , ajentibus non ſolum viros , ſed etiam fœminas Tabernaculo addici potuiſſe , quod illa indicant Exodi c. 38. v. 8. *Fecit Moyſes & labrum æneum de ſpeculis mulierum , quæ excubabant ad oſtium tabernaculi* ; & ea II. Macc. c. 3. v. 19. *Sed & virgines , quæ incluſæ erant , procurrebant ad Oniam* . Vide Interpretes ad loca cit.

Digitized by Google

rael, plangendi nimirum *mortuum* conniventibus Sacerdotibus, quod in Deuter. & Levit. omnino interdicitur; & tamen nullibi id aut Sacerdotibus, aut illis Virginibus exprobratur; quin imo tanquam de more laudabili fieri mentio videtur. Permittebatur quidem luctus in mortibus, ſed ad ſeptem dies, vel etiam ad triginta in obitu præſtantium virorum; quo completo vetitum erat adire ſepulcra. Qua de re erudite multa Calmetus in diſſertatione de funeribus Hebræorum, & in ſuis ad Iſaiam Commentariis.

Quæ hactenus protulimus probabiliora, imo certiora fiunt ipſius Scripturæ auctoritate, quæ poſtquam dixit: *reverſa eſt* Filia *ad Patrem ſuum, & fecit ei ſicut voverat*, ſtatim addidit: *& ipſa non cognovit virum*, v. 39. (in Vulg. *ignorabat virum*) ut oſtenderet ejuſdem conditionem, poſtquam voto ſe actu conſtrinxit. Et ſane textum ad litteram reddendum eſſe: *& ipſa non cognovit virum* (*b*), hebraicæ linguæ peritis evidens eſt ac certum. Unde illud etiam patet, Scripturam in noſtra ſententia omnia adjuncta notaſſe, quod contrariæ opinionis patroni non habent in ſua: *Et tamen ſi morti Virgo illa addicta fuiſſet, ejus facinoris circumſtantiæ ſine dubio notabiles fuiſſent, nec a Scriptore Sacro prætermiſſæ*, inquit Relandus; quod moris Scriptura conſtanter ſervat in magnis rebus ac novis (*c*). Aut

(b) וְהִיא לֹא יָדְעָה אִישׁ

(c) Ad id loci illud admonemus, nos Patribus in defendenda noſtra ſententia non adverſari. Illi enim in hac

Digitized by Google

Aut hæc ſunt vituperanda, aut ſententiæ noſtræ ſuſcipienda defenſio; quæ ut adhuc validius ſtabiliatur, aliis rationibus roboretur. Humanas victimas in lege divina clare & aperte vetitas fuiſſe pro certiſſimo habendum eſt. *Quando diſperdiderit Dominus Deus*, ita Deuteron. c. 12., *gentes*, *& habitaveris in terra earum*, *cave ne imiteris eas* . . . . . . *Non facies ſimiliter Deo tuo*. *Omnes enim abominationes*, *quas averſatur Deus*, *fecerunt Diis ſuis*, *offerentes filios & filias & comburentes igni*. Id ſi eſt ita, dicere neceſſe habent, qui Jephte temerarii voti inſimulant, ideſt de humana victima, aut legem hanc ignoraſ-

hac materia de jure agunt, nos de facto quærimus, & cum id quærimus, ipſis permittentibus, imo hortantibus quærimus, qui docent in dubiis fontes eſſe adeundos. Illi poſito, quod Jephte Filiam immolaverit, quid ſenſerint, aperiunt: nos quo fundamento innitatur opinio quorumdam Hebræorum, aliorumque auctorum de illa mactatione diſcutimus, non quidem aliena ſectantes, ſed Scripturæ inhærentes. Cum Patribus ſentimus ſacrificia de humanis victimis impia eſſe; vota de bono meliori eſſe nuncupanda, eademque ſollicite perſolvenda. Animadvertimus cum Tirino, Sacy, Wonters, aliiſque, ipſos Patres, ſi quando ex occaſione de hoc voto agunt, non eſſe unius ſententiæ; quidam Jephte reprehendunt, quidam laudant, quidam judicium ſuſtinent. Juſtinus Martyr quæſt. & reſponſ. ad Orthodoxos ait, Jephte voviſſe *poſt impetratam victoriam grati animi cauſa*; Divus Ambroſius *lib. 3. de Virg.* inquit, eum voviſſe quidquid *intra domum* ſibi occurriſſet; & tamen Scriptura, etiam in Vulgata, aperte dicit, Jephte voviſſe ante victoriam, & voviſſe quidquid *e foribus domus* ſibi occurriſſet. Hieronymus *l. 1. contra Jovin.* duplicem, ut nos conſecrationem diſtinguit, inquiens: *Erit Domino: & offeram holocauſtum*. . . .

ſe, aut, ſi non ignoravit, contra illam tamen egiſſe, errore militari æſtuque mentis deceptum. Verum, inquam ego, legem hujuſmodi Judaicæ Religionis caput præcipuum, legem ita apertam, & crebro repetitam: legem propoſitis minis, ne violaretur, ſatis communitam, aliquando etiam immiſſis acerbiſſimis malis ab injuria vindicatam: legem omnibus cognitam, unum Jephte Populi Judicem, & quidem Hebraici juris & Moſaicæ Hiſtoriæ peritiſſimum ut ex legatione ad regem Ammonitarum miſſa perſpicuum eſt, *c.* 11. *v.* 12. & ſeq. (*d*); Jephte, inquam, unum ignoraſſe talem legem, cui perſuadeatur, niſi ratione vel auctoritate certo probetur? Ex Scriptura conſtat, Jephte in ratione votorum & ſacrificiorum inſtructum fuiſſe; hinc *votum vovit Domino*, hinc *erit Domino*, *& offeram holocauſtum*. In hac vero notitia, eum ignoraſſe putabimus victimas hominum a Lege naturæ atque divina vetitas fuiſſe?

Et tamen æſtu quodam, & errore militari deceptus, urgent, ſtulte vovit Jephte, & quod voverat impie complevit. Davidem æſtu quodam agitatum conſpecta Bethſabee erraſſe (*e*): Judam

(d) *Locutus eſt Jephte coram Domino, & miſit nuntios ad Regem filiorum Ammon, qui ex perſona ſua dicerent: Quid mihi, & tibi eſt, quia veniſti contra me?* Multis rationibus agit Jephte cauſam populi ſui contra eum Regem petitis ab hiſtoria, a Dominio Dei Hebræis collato, a jure belli, a poſſeſſione longi temporis; quibus conſideratis, inquit Calmetus in Comment. eum dediſſe ſingularis prudentiæ, moderationis, atque ſapientiæ præclara ſpecimina.

(e) *II. Reg. c.* 11.

dam quoque viſa Thamare æſtu lapſum fuiſſe (*f*) : Joabum denique in hoſtem Abſalonem de trunco pendentem æſtu irruiſſe (*g*) intelligo . At non intelligo , quam recte confingatur errore quodam militari , æſtuque temerario correptum fuiſſe Jephte pacata mente ac tranquilla , imo in ea cogitatione defixum , ut qua meliore ratione poſſet Dei præſens auxilium experiretur in negotio , in quo civium ſalus , bonorum defenſio, patriæ libertas, religionis incolumitas agebatur . Intueor hominem acceptas injurias (*h*) condonantem , inſontium miſerias habentem præ oculis , ſeque pro iis animoſe devoventem : Hominem video coacto auguſto quodam concilio in Maſpha *v.* 11. , antequam bellum indiceret , loquentem *omnes ſermones ſuos coram Domino* , ut inquit Scriptura : Eumdem audio moderate & juſte agentem etiam cum hoſtibus , nec prius armis & vi contra eos , quam jure & ratione diſputantem : Hominem ſentio omnia Deo accepta referentem , ad eumdem omnia revocantem , & talem Hominem notis hiſce diſtinctum probitatis, juſtitiæ , prudentiæ , Hominem cum his habitantem curis & pernoctantem , in re graviſſima contra Religionem atque naturam turpiſſime peccaſſe , non dico fidenter aſſerere , ſed vel ſuſpicari poterimus ? Nihil optimam animi culturam & antegreſſam præparationem pro Jephte valere cenſendum eſt ? Et tamen pro aliis hæc optima diſ-

 poſi-

(f) *Gen. c.* 38.
(g) *II. Reg. c.* 18.
(h) *Judic. c.* 11. *v.* 2.

Digitized by Google

poſitio ſemper mirifice valuit. Judith Holophernem aditura ornavit ſe ſplendidiſſime, & ideo ab aliquibus reprehenſa fuit. Verum dum cogito fœminam ſolitudini deditam etiam in juvenili ætate, paupertati non neceſſitate, ſed devotione mancipatam, ciliciis aſſuetam, orationi addictam, eamque intueor ſe repente induere veſtibus jucunditatis, damnare non audeo, ſed cum Ambroſio probare & mirari compellor.

Rurſus D. Auguſtinus victoriam ab hoſtibus relatam, huic voto adſcribere non dubitat: *Poſtquam*, inquit, *Jephte votum vovit, illa eſt inſignis ejus relata victoria, propter quam adipiſcendam voverat*; quod ipſum ex Scriptura conſtat: *Tradidit Dominus in manus ejus filios Ammon* (v. 32.). Non negamus Deum quandoque improbis etiam fauſta concedere, nunquam tamen ad mali operis quaſi remunerationem: præterea certo ſcimus, Deum in V. L. cum illo populo conſtantiſſime egiſſe eo modo, quo ſe acturum denuntiaverat paſſim: *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias atque cuſtodias omnia mandata ejus, dabit Dominus inimicos tuos corruentes in conſpectu tuo. Quod ſi nolueris audire, tradet te Dominus corruentem ante hoſtes tuos* (Deuter. c. 28.). Quod quidem non eſt neceſſe exemplis confirmare, cum tota Vetus Scriptura luculentum exemplum ſit: cum Jephte autem ſecus egiſſe nequaquam credendum eſt.

Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos *cap.* 11., ubi plures commemorat, qui fide animati præclara effecerunt, inter hos Jephte quoque recenſet, & poſtquam magnifice de Abel & Noe, de Abra-

Abraham & Iſaac, de Moyſe aliiſque meminiſſet, *Deficiet me tempus*, concludit, *enarrantem de Jephte, David, Samuel & Prophetis, qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*. Quod conſilium, interrogo, quæ mens inerat Apoſtolo in citata Epiſtola? De fide nimirum vera ac ſolida, quæ ex Deo eſt, quæ tendit in Deum, & ad recte agendum impellit, verba facere, itaque perſuadere, ut rejecta fide illa ficta, quæ, ut ait idem Apoſtolus, *ſita eſt in ſapientia hominum*, illam omnes amplecterentur *quæ eſt*, ut ipſe loquitur, *in virtute Dei* (I. ad Corinthios c. 2. v. 5.): cujuſmodi fuerat fides illorum, quos commendaverat. Si autem Jephte bellum initurus voviſſet fide fucata & humana deceptus, putans votum de humana victima eſſe carum Deo, cum ſit ingratiſſimum, illumne recenſuiſſet Apoſtolus inter eos, qui per fidem veram eximia ſuſceperunt? Rurſus ſi alia fide hoſtes aggreſſus fuiſſet, nempe recta, alia fide votum nuncupaſſet, nempe fallaci, & in humana perſuaſione ſita, cum fidei prioris meritum poſterioris defectus fœdaſſet, de illo ſaltem generatim concludere nequiviſſet, quod de aliis concluſit, inquiens: *Per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones*; ſed potius ſilentio Jephte præteriiſſet, quo minime egebat in ea Epiſtola, in qua alios quamplures nominaverat, & de quo verius dicere potuiſſet, quod ait de Judæis ad Romanos (*i*): *Qui*

(i) *Ad Rom. c. 9. v. 32.*

Qui ad juſtitiam non pervenerunt, quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus; ex operibus, inquam, humana perſuaſione, aut etiam ſtultitia ſuſceptis. Quod ſi res non ita eſſet, illi ex Hebræis qui in Apoſtolum male animati fuiſſent cavillandi anſam arripuiſſent, quod nimirum inter viros probatiſſimæ & præſtantiſſimæ fidei illum quoque nominaſſet, de cujus fide dubitari poterat, imo male ſentiri; eidemque objicere potuiſſent, quod divinas remunerationes ad eum etiam extendiſſet, qui reprehenſione verius, quam præmio dignus fuiſſet in opere alieno a juſtitia atque pietate, ideſt in voto injuſto, temerario & impio.

Neque dicant Apoſtolum non intelligere factum & votum, de quo nos; ſed alia præclara Jephte opera innuere voluiſſe, quod ſecus eſt; propterea quod nihil aliud in tota Scriptura habeatur de Jephte præter bellum contra Ammonitas, & votum quo ad illud ſe præcoluit: & Apoſtolus eorum quos nominat in citata Epiſtola, opera & facta illa duntaxat enumerat, aut intelligit, quæ ad Hebræorum notitiam perveniſſent, aut pervenire potuiſſent. Hoc quod dicimus ita certum nobis videtur, ut illi ipſi qui votum Jephte reprehendunt, non tamen negaverint Apoſtolum in ea Epiſtola illud habuiſſe præ oculis. Vide præterea D. Thomam 2. 2. *qu.* 84. *art.* 2. *ad* 2., & Hieronym. *in Epiſt. ad Julianum*, & interpretes.

Sed quid eximii, inſtant adverſarii, quid præſtantis ſpopondiſſet Jephte, ſi animalia in mente habuiſſet? Nihil his, inquiunt, frequentius, nihil communius. Ita prorſus exiſtimo: verum illud

lud quoque exiſtimo, majus & melius ſacrificium eſſe de his, quæ præcepta, & Deo cara ſunt (*k*), quam de victima hominis omnino vetita. Quid igitur præſtantis, quid eximii voviſſet, ſi victimam voviſſet exoſam & inviſam, victimam in lege prohibitam?

Optime vero Jephte non de hoſtili præda, quod alii ante & poſt illum effecerunt, ſed de ſua ſubſtantia, non de bonis alienis, ſed de propriis votum nuncupavit. Olim Moyſes *Numer. c.* 31. profligatis Madianitis, oves quamplures hoſtibus ereptas immolavit, virgines etiam aliquas præterea dicavit; & recte quidem: cur non recte etiam Jephte, qui non ut ille relata victoria, ſed vel antequam bellum iniret, de ſua facultate, vel de domeſticis votum ſpopondit, atque ita exemplo ſuo illud antea complevit, quod a Salomone in Proverbiis dicitur: *Honora Deum de tua ſubſtantia* (c. 3. v. 9.)? In hoc aliquid ineſſe boni, & etiam ſingularis intelligo; in voto de humana victima quid ſit eximii prorſus non video.

Et hac quidem ratione quam multa abſurda evitantur, in quæ illi incidant neceſſe eſt, qui ſecus putant? Interrogati enim de ritu cruentæ mactationis, deque cæremoniis illius holocauſti, quid reſpondeant? Quinam enim ejus ſacrificii Mi-

(k) Animalia certe optimum eſſe ſacrificium ex voto Jacobi colligitur, *Geneſ. c.* 18. *v.* 20. *& c.* 35. Excellens quoque votum ſe Deo nuncupare rata eſt Anna Mater Samuelis, quæ non mactationem de filio, ſed conſecrationem ſine cæde ſpoponderat; *Reg. l.* 1.

Miniſter extitit ? Paterne, an quippiam alius mandato Patris, an vero Sacerdotes ? Quo rurſus in loco tale ſacrificium fuit perſolutum ? in abdito ne & ab omni celebritate remoto, an in Tabernaculi ipſius atrio, ubi ſolum holocauſta fieri præceptum erat ?

Novi equidem elabi adverſarios, & reſpondere Jephte effeciſſe, quod voverat ; holocauſtum, inquiunt, voverat, illudque in filia perfecit : *Fecit ei ſicut voverat* (v. 39.).

Profecto Jephte holocauſtum etiam voviſſe & veri nominis holocauſtum concedimus ; non tamen de humana victima, ſed de animalibus. Fac tamen voviſſe holocauſtum de victima humana. Holocauſtum illud erit vere & proprie accipiendum ; nulla enim ratio eſt, cur divinus Scriptor, qui aliquandiu poſt rem, ſicut geſta fuerat, narrandam ſuſceperat, vocem illam *holocauſti* minus proprie intelligendam eſſe voluerit. Quid ? ſi hæc non concedunt, dicere neceſſe habebunt, Jephte voviſſe purum putumque homicidium, quo nihil abſurdius. Hoc poſito, dicentne Patrem, aut alium quempiam ejus imperio Puellam interfeciſſe, & igne abſumpſiſſe ſecreto in loco ? Hoc certe non eſt holocauſtum, ſed immanis mactatio : non igitur *fecit ſicut voverat* ; etenim ad holocauſtum proprie dictum ea omnia ſpectant, quæ Moyſes enumerat Levitici *cap.* 1., ut offeratur ad Oſtium Tabernaculi per Sacerdotes filios Aaron, qui ſanguinem victimæ funderent per altaris circuitum, detractaque pelle hoſtiæ artus in fruſta conciderent, qui inteſtina & pedes abluerent, atque ita holocauſtum per ignem confi-

ce-

Digitized by Google

cerent in odorem Domino (*l*). Jam vero ſi Pater, aut quis alius præter Sacerdotes virginem illam obtulit extra Tabernaculum, non eſt holocauſtum. Quomodo ergo verum erit illud: *Fecit ſicut voverat?* Dicent fortaſſe hoc ſacrificium cæremoniis a lege præceptis perfectum fuiſſe? Verum ne hoc quidem conceſſo pervincent tale fuiſſe holocauſtum. Nam ad holocauſtum non aliæ victimæ parari poterant, niſi quas lex nominat, de bobus ſcilicet, ovibus, & capris, de pullis columbarum, atque turturibus. Humana vero victima a lege exploſa poteratne holocauſto eſſe apta materia? & ſine materia in lege præſcripta, quale ſacrificium perfici potuiſſet? Si igitur vovit holocauſtum, illud non abſolvit: non igitur *fecit ſicut voverat*. An Scriptura mentitur?

Quanquam nullo modo concedi poteſt innoxiam illam virginem ad Tabernaculum adductam fuiſſe, ibique per Sacerdotes immolatam. Quis enim animum inducat credere, Sacerdotes, *quorum labia*, ſecundum Malachiam c. 2. v. 7., *cuſtodiebant ſcientiam*, quorum judicia ſanctiſſima erant, ſecundum Moyſem; Sacerdotes divinarum legum fidiſſimos interpretes & cuſtodes integerrimos, quorum doctrinæ de votis eorumque redemptione rectiſſimæ habebantur ex peculiari divini Numinis ope, Sacerdotes, inquam, non obſtitiſſe? Dicere autem non obſtitiſſe, quod & ipſi errore decepti putaverint, illiuſmodi votum con-

(l) Conſule citatum cap. ubi alia plura nominantur. Vide Anton. Conſtantini *lettere Critic.* t. 2.

Digitized by Google

contra legem divinam tenuiſſe & obligaſſe, idem eſt ac dicere Deum aliquando in rebus neceſſariis Sponſæ ſuæ Synagogæ defuiſſe. Quo nihil a veritate & Dei bonitate abhorrentius.

Sive aſſerendo atque defendendo, quæ certa nobis ſunt, ſive inquirendo & ambigendo de incertis, quæ potuimus, & ſicut potuimus, diſſeruimus, atque conſcripſimus, non tam præſcribentes de rebus obſcuris unicuique quid ſentiat, quam nos docendos in quibus dubitavimus oſtendentes. D. Auguſtinus de Geneſi ad litt. l. 12. c. 1.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google